



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculæ

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726


[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)




LVI

17

Jh. 5849.





BIBLIOTHECA
RHETORUM.
PARTIS PRIMÆ,

QUÆ

Oratoriam Facultatem
complectitur,

TOMUS TERTIUS;

IN QUO

CAUSÆ FOREN-
SES, LIBER EPISTOLARUM,
LIBER FABULARUM, ET
ORATIUNCULÆ.

AUCTORE P. GAB. FRANC. LE JAY,
E SOC. JESU.

Excusa Parisiis Anno M. DCC. XXV.

Recusa Monachii Anno M. DCC. XXVI,

SUPERIORUM PERMISSU.

Cum gratia, & Privilegio S. C. M.

Sumptibus Joan. Andreæ de la Haye
Bibliopolæ Academici Ingolstadij.



Typis Mariæ Magdalenzæ Riedlin Viduz.

BIBLIOTHECA

RHETORICAM

PARTIS PRIMAE

Christiani Buchhändler

Compositum

TOMUS TERTIUS

IN FINE

CAUSAE FORENSIS

DE IURISDICTIONE

LIBER PRIMUS

ORATIONUM

ADUSUM P. G. G. P. G. G. P. G. G.

1700

MDCCCLXXV

MDCCCLXXVI

MDCCCLXXVII

MDCCCLXXVIII

MDCCCLXXIX

MDCCCLXXX

MDCCCLXXXI

MDCCCLXXXII

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS

Cum Privilegio Cæsareo.

Ego Franciscus Xaverius Hal-
lauer, Societatis JESU, per
Superiorem Germaniam Præ-
positus Provincialis, facta
mihi potestate ab Admodum R. P.
Nostro Michaële Angelo Tamburino,
Societatis universæ Præposito Gene-
rali, Librum, cui Titulus: *Bibliotheca
Rhetorum, præcepta & exempla complectens,
quæ tam ad Oratoriam facultatem, quàm ad
Pœticam pertinent, Auctore P. Gab. Franc.
Le Jay, è Societate JESU, à deputa-
tis ejusdem Societatis Patribus le-
ctum, probatumque, Typis in lucem
edi permitto per D. Joannem An-
dread de la Haye, Ingolstadii Biblio-
polam Academicum, unà cum Pri-
vilegio Cæsareo, quo Typographis
& Bibliopolis omnibus prohibetur,
ne vulgatos à Societatis JESU Patri-*

A 2

bus

bus Libros absque Superiorum con-
sensu in eadem , aut diversa lingua
recudant , vel intra Sacri Romani
Imperii fines , aut hæreditarias S. C.
Majest. Provincias importent. Fa-
cultatem hanc de una duntaxat im-
pressionem intellectam , mea manu &
consueto Officii Sigillo confirmo,
Ingolstadii 19. Febr. 1726.

L. S.

FRANC. XAV. HALLAUER,
Soc. JESU.

AD
CAUSAS FORENSES,

PRÆFATIO.

Hoc genus Exercitationis ab annis quibusdam in nostras Scholas in-
vectum tantâ totius Literariæ
Reipublicæ gratulatione exce-
ptum est, nihil ut ad studiosæ Juventutis
utilitatem melius institutum fuisse videatur.
Enimverò quicumque in spem gerendi
olim Magistratûs, aut orandi in Foro cau-
sas adolefcunt, quanto cum suo fructu in
istis umbratilibus causis auspiciantur, quod
maturiore ætate affecuti Forensibus in
controversiis habebunt agitandum. Nec
minùs ad Eloquentiam Sacram præsidii
conferunt ludicræ ejusmodi concertatio-
nes, quibus in informandis huc præcipuus
jubetur incumbere Tyronum labor, ut,
quas agunt causas, validis rationum mo-
mentis fulciant, & teneris ornent ad cien-
dos motus animorum affectibus; quod
utrumque Sacris in Oratoribus plerumque
desideres.

Hinc nunquam sine certo plausu pro-
deunt in Scenam hujusmodi Causarum
Actores, tantò digniores laudem ferre,
quantò plus suæ in eas elaborandas indu-
striæ contulerunt. Etenim nullus existimet
unum hunc esse, quem pariunt Exercita-

A 3

tiones

tionem illam fructum, ut Adolescentes de-
clamare doceantur. Multo magis in iis-
dem tentatur mentis acies, quæ, quam mi-
rabilius inveniendi scribendoque se
prodat, peritam moderatoris manum præ-
fertim nacta, nemini suspicari contingat,
nisi qui felices in ætate vel tenerâ ingenio-
rum partus periclitatus sæpè expertusque
fuerit.

Ego certè, qui intermissum hunc in
Scholis jam inde à Quintiliani temporibus
exercendæ Juvenum solertiæ morem post-
liminio revocavi, in eoque promovendo
non inutilem penitus operam collocasse vi-
deor, profiteri non dubitem, partem in istis
Causis Forensibus habuisse plurimam illos
Adolescentulos, qui sub nostrâ disciplinâ
instituebantur, nec sine jure suo, dum Causas
illas palàm agerent, Actoris pariter & Scri-
ptoris nomen sibi vindicasse.

Hoc unum deinceps optandum restat,
ut, qui Juventuti erudiendæ præsent, lan-
guescere non sinant Exercitationem illam,
unde tam uberes omnium iudicio ad veram
germanamque Eloquentiam fructus ex-
sistunt.

CAU-

CAUSÆ FORENSES.
CÆTEROS INTER GAL-
LIÆ POPULOS
QUIS FERRE PRIMAS DICENDUS
SIT ?

CAUSA PRIMÆ.
In genere Deliberativo.

ARGUMENTI EXPLICATIO.

*Certatur inter præcipuos Gallia Populos
de Provincia, quam quisque Patriam
agnoscit, excellentiâ. Causa defertur ad
Judices, apud quos singuli pro Gente
suâ diligenter perorant.*

ACTORES.

VASCO.

AREMORICUS.

NORMANNUS.

PARISINUS.

PICARDUS *inexpectatus & im-
provisus Intercessor.*

JUDEX.

VASCO.

AMbulanti mihi nuper cum quibusdam è con-
taneis meis sermo fortè incidit, de Provin-
ciæ, quam quisque patriam agnosceret, ex-
cellentiâ, & gravis deinde orta controversia est.

A 4

Hic

Hic enim Aremoricam, Normanniam iste, alter Parisios patriam habet. Ego, quod beneficium reputo maximum, pro quo & immortales habeo Superis gratias in Vasconiâ sum natus. Animis inter disputandum incalescentibus, temperavi mihimet non mediocriter, Auditores; Nam, si ventum esset ad manus, & rem decerni ferro passus essem, dijudicata lis jam foret, & singulos, quotquot erant, Muscas ut, contrivissem.

At, ut est bona Vasconum indoles, putavi parcendum esse iræ & sanguini, & controversiam totam ingenio potius, quàm armis, apud vos arbitros ac iudices esse dirimendam. Ac licet paucos è vobis Vascones agnoscam, ego tamen pro Vasconibus Vasco aucturus nullius iudicium reformido; imò cæteris ultro volensque permisi, meditari diu, multumque ut ad dicendum accederent; dum ipse ex tempore, & pauca tantum gentis meæ in gratiam sine ullo ordine differerem.

Sed quid agam, Iudices? unde potissimum exordiar tam breves inter, quas mihimetipsum præscripsi, orationis angustias? quem putatis servandum esse mihi dicendi modum? Ita multa statim occurrunt, quæ Vasconum gentem postulant cæteris omnino gentibus anteponi! Vultis ut incipiam ab ingenii dotibus? vultis ab indolis animique præstantiâ? vultis à gratiâ corporis? hæc enim omnia in Vasconibus summa nuncupantur, & revera sunt.

Agite enim verò, quanta vis ingenii in unoquoque nostrum, quàm singularis perspicacia, quàm ingenuus lepos elucet! Ut excogitamus feliciter! ut scribimus lepidè! ut acutè venustèque narramus! Atque id, quod dico, Iudices, usque
adeò

aded verum est, & ab omni suspitione vel mendacii, vel insolentis jactantiæ prorsus alienum; ut, si quid factum solerter, aut dictum ingeniosè, id contiuò Vasconibus tribuatur, quasi, mirabile quidquid est, credi non possit, nisi de Vasconibus memoretur. Scilicet nemo nascitur apud nos, nisi ingeniosus; &, quod in aliis rarus ac ferus esse solet longioris studii & improbi laboris fructus, id nobis insitum à naturâ ipsâ nullo labore nostro videtur.

Quid Vasconum solertiâ ac sagacitate notum magis, ac magis decantatum? Est aliquid uspiam tam invium, quò non penetreret? tam intricatum, quod non expediat? tam arduum, quod non superet? tam elatum, quò non evolet? Aliis opus est multis præfidiis rem ut faciant; opes, auctoritas, gratia nisi adfuerint, vel aggredi sustinent nihil, vel in mediis conatibus miseri deficiunt. Nos solâ freni solertiâ atque industriâ ad magna quæque Togæ vel Militiæ munera pervenimus. At in bello præsertim, Judices, quales sumus! Quot Vascones, tot Cæsares dixeris; quibus venisse ac vidisse satis est, ut vicisse pariter videantur.

De formâ corporis atque elegantiam dicerem pluribus, nisi jam actum agerem. Facite vel ex me uno de reliquis conjecturam, Judices; inspicite diligenter à capite ad calcem; diffusam toto corpore gratiam considerate. Neque mirum est, si in omni palæstrâ atque exercitatione excellimus, si cantamus bellè, saltamus eleganter, ludimus venustè, tractamus arma scienter; si in equo sedemus Alexandro Magno pulchrius. Ipsa loquendi ratio ac vocis sonus eas habent illecebras, ut Vasconibus, placere idem sit ac loqui. Quid ad hæc Normannus Judices? Ingenium, credo, venditabit vobis, seu fallacias potiùs ac dolo,

quibus incautos decipit, non Vascones. Prædicabit indolem assentationis melle conditam, quâ simplices ac bonos inescat, non perspicaces, quales nos sumus, ac cautos.

Quid Aremorius? gens hominum minimè mala, Judices: de quâ religioni ducere, maledixisse: at non eâ perspicaciâ mentis, quæ venire nobiscum in certamen possit. Tale gentis ingenium, mihi credite, quale corpus est: bonum quidem ac probabile, non ita argutum, ædepol! ac delicatum.

Unum video Parisinum, Judices, qui umbra-tili quadam vel ingenii, vel indolis elegantia facere fucum possit. At qui genus hominum penitus inspexerit, is vernis ac recens natis floribus merito dixerit similes. Illi scilicet dum exoriuntur aut adolefcunt, perfringere oculos solent; verum cum crevere tandem, omnem pariter cum annis leporem ac venustatem deperdunt.

Plura parco dicere Vasconum in gratiam, dicant illi vicissim pro se, si quid habent, aut potius, si consultum sibi velint, æternum conticescant.

A R E M O R I C U S.

Et erit aliquis postea, qui linguæ volubilitate atque ubertate sermonis Vascones longè principes esse neget? Audiistis, quotquot hic adestis, Viri illustrissimi, & inspexistis incredibilem dicentis industriam, venustatem oris, multiplicem ac variam peregrinæ vocis inflexionem, & mirificam totius hominis confidentiam. Quas quidem dotes neque nos crassiores Aremorici, neque quisquam eorum, opinor, qui in hodiernâ causâ descendunt Actores, confidat æmulari.

Me

Me certè (quid enim inficier) non minùs, quàm unumquemque vestrùm affecit Orator ille Garumnæ, qui me sic oblectavit, ut causam meam ne minimùm officeret. Etenim notum est omnibus, quàm parum habere soleat ponderis, quidquid id genus homines gariunt; aded eorum indoles tota ad illudendum est comparata; aded sibi vindicant, tanquam pro jure suo, ut falsa pro veris, incredibilia pro certis impunè gariant.

Itaque, quòd in hac Oratione tuâ à veritate deflexeris, id in te aded non reprehendam, ut potiùs laudandum existimen. Fecisti pro gentis consuetudine, morem patriæ retinisti; sustinisti apud omnes conceptam de te expectationem; dixisti ingeniosè, confidenter; risit percelebris hic clarissimorum Virorum cætus; plausit dicenti, gratulatus est; habes justam laboris mercedem; hac laude fruiere, quam tibi non invidemus, dum nos de Principatu, quò certè non aspiras, te non jam adversario, sed, si volueris iudice decertabimus.

Igitur, Auditores, ut ad rem nostram veniamus; cum non ea sit tam felix nostræ gentis indoles, ut jocularibus præstigiis, quod à Vascone factis lepidè factum non negem, animos vestros oblectare possim, eò me converto totum, ut veris ac solidis, quod ille neglexit, argumentis demonstrarem, quantum Provinciæ nostræ homines cæteris antecellant.

Atque utinam per tempus liceret omnes gentis nostræ dotes, decora omnia, quæcumque vel domi, vel foris tam prudenter, quàm fortiter facta sunt, commemorare, antiquitatem originis referre, laudare nobilitatem, facile quivis vestrùm intelligat, Aremoricæ nostræ Principatûs gloriam deberi. Sed quoniam temporis angu-

stis

stis ferendum esse sentio, necesse est breviorē inire me viam, & vim Orationis omnem his præsertim momentis coërcere.

Credo, Auditores, vestrum dubitare neminem; ut animus in homine pars longè nobilissima reputatur, ita, qui præcellat animo, eum cæteris omnibus potiorē videri. Animi verò ipsius quis neget virtutes censerī præcipuas Fortitudinem & Bonitatem, quas ego Aremoricæ gentis tam proprias esse contendo, ut reliqui in totâ Galliâ populi venire laudis hujus in contentionem non debeant.

Ac de Fortitudine primùm dicturus, quàm multa referre possim avitæ laudis monumenta, quibus gens nostra fortitudinis gloriam sibi vindicat. Hoc ipsum, quod ab omni penè ævo vulgò ferimus Britones nomen, unde nobis inditum, vel quid aliud sonat præter victoriarum insignia, quas nostri homines de majore Britannia olim reportarunt. Impatientes illi servitutis, & suæ libertatis amatores, jugum, quod imponere barbari meditabantur, detrectavere viriliter, & represâ felicibus auspiciis hostis superbi ferocia, rerum fortiter gestarum famam unâ cum ipso nomine in Gallias transmisere. Hinc verò quantum rebus Gallicis decus ac præsidium accessit, dum armorum nostrorum laude securitatem toti imperio præstamus ac gloriam. Fuit ulla gens in Galliâ tam famosa suis Ducibus, tam invicta bello, tot victoriis ac triumphis nobilitata? Sed quid ego hæc memorem, quæ notiora sunt & historiarum luce magis illustrata, quàm ut cuiquam obscura esse possint. Mitto pariter, quot heroes illa procreavit. Vos mihi instar omnium eritis, tu Guescline, tu Clifsoni, quos ego cùm appello, intelligitis ipsam fortitudinem fuisse appellatam:

tam: qui, quamdiu summam rei bellicæ præfeturam in Galliâ gesserunt, quantum imperio toti nomen, quantum apud omnes Europæ Populos Gallicæ virtuti famam peperere!

Quamquam prætereantur memoriâ, per me licet, quæ vetera sunt, Auditores; Aremoricæ gentis fortitudinem ex nostris temporibus æstimare. Agite, in his bellorum æstibus, in illâ sævientium undique armorum diuturnitate, cui nullum adesse finem ac modum tam graviter postulamus; quis demum in totâ, quàm latè patet, Galliâ populus strenuam magis, ac magis utilem navat rebus nostris operam Aremoricâ gente? quis se tam formidabilem conjuratis in nos hostibus exhibet? quis tam certam, tamque continuam ipsis cladem ac perniciem importat? Unam testabor urbem, eamque in nostrâ Provinciâ non primariam, unde plus fortitudinis ac roboris, quàm ex reliquis totius regni partibus emanat. Macloviopolim dico, Judices, cujus vel audito nomine, an non redit vobis in mentem, quantum nostrorum hominum fortitudini Gallia debeat.

Nam quid ego hîc memorem purgata infestis prædonibus maria? quid loquar raptas ex hostibus diebus propè singulis & in portus nostros prædas advectas? quid capta, vel depressa, vel incensa omni numero majora tam Batavorum, quàm Britannorum navigia enumerem? quid relatas toties navalibus in præliis victorias extollam? An cuiquam videbor vel ambitiosus præter modum, vel jactantior, quàm par sit, dum hæc prædico? an quidquam dictum est à me, quod vestris auribus atque oculis usurpare quotidie non liceat?

Senserunt certè hostes ipsi, quàm funesta sibi, quàm exitiosa foret vel ista pars Aremorici populi,
qui

qui ad evertendam funditus Macloviopolim nihil intentatum aut doli, aut sceleris reliquerunt. Meministis, Iudices, quibus Britanniaë Hollandiaëque parata sumptibus, quot impensis fabricata terribilis illa machina fuerit, quæ nitrato sceta pulvere, sulphureis plena cadis, vimque ferri immensam, & varia necis instrumenta complexa ineluctabilem mœnibus, ipsisque adeo civibus ruinam portabat. Tanti videbatur ad communem inimici fœderis securitatem ac salutem esse momenti, si urbem unam perderent funditus atque everterent. Sed de fortitudine nostra satis, Auditores, quàm non insana temeritas, ut Vascones, non utilitatis ratio, ut Normannos, non ambitio futilis, ut Parisinos exstimulat, sed una indolis bonitas procreat & incendit; quod alterum, quantum pertineat ad gentis nostræ commendationem intelligite.

Neque enim existimate, Iudices, si quid fortiter gestum est unquam à nobis, aut temerariam, aut avaram, aut ambitionem fortitudinem extitisse. Nos belli necessitas, aut æquitas, nos charitas Patriæ & sociorum salus ad arma capienda hortantur, & incendunt. At non ita ruimus in hostem præcipites, ut in medio armorum æstu innatæ bonitatis obliti videamur. Hosti armato quàm occurrimus audacter, devicto, subiectoque tam clementer ignoscimus. Vicisse, apud Aremoricos finis belli pariter & irarum est.

Quòd si vel inter arma, quæ ferociaë & atrocitatis habent plurimum, tam placabiles hostibus, tam humani Aremorici esse solent; quanta amicos ipsos charitate, quàm singulari benevolentia complectuntur! Ubi viget uspiam, quàm apud nos, aut fides antiquior, aut societas arctior, aut amicitia constantior? Devinxis tibi unum è nostris aliquem, neque hoc tam difficilis operæ est, hunc tibi

sibi perpetuum in tempus devinxisti. Neque verò id profiteri vereor de nobis, tam insitam videri nostris animis humanitatem ac bonitatem, ut quidquid utriusque repugnat, ac contrarium est, id vulgò à nostris moribus alienum esse censeatur. Id porro tam verum, tamque apud nos in confesso est, Auditores, ut si quid unquam alicui nostrorum hominum excidat nativæ bonitati minùs consonum, quod vix evenire videas, nisi fuerit ille peregrinæ malitiæ contagiò corruptus ac depravatus, hunc in Aremoricâ natum esse nemo non neget. Adeò, quàm solenne est, si quis se jactantiùs extulerit, Vasconem; si quis commodis impensius studeat, Normannum; si quis se amet plusculum, Parisinum appellare; tam insedit hæc omnium animis opinio, Aremoricorum, nisi quis bonus sit, esse neminem!

Ergo quis nobis hanc invidet laudem, ut boni inter cæteros Aremorici censeamur? Parisini, credo Palmam hanc nobis auferent, & placidam indolis suæ comitatem prædicabunt? Equidem, fateor, Auditores; non sunt illi feroces naturâ suâ, nec inhumani: temperato imprimis, miùsque nati in solo moderationis nonnihil atque etiam comitatis ab ingenio loci mutuuntur; tamen quis inficias eat, esse illos plerumque amantes plus æquo sui: quo fit, ut, dum se admirantur, ac depereunt præter modum, minùs ad colendos alios & amandos comparati videantur.

Superfedeo pluribùs, Judices; & quoniam Fortitudinis ac Bonitatis gloriam Aremorici pro jure suo sibi vindicant, statuite, quàm meritò gens nostra cæteris Galliæ populis præferenda sit.

NORMANNUS.

Fuit hoc semper luctuosum nescio quod virtutis fatum, Judices integerrimi, ut perpetuis male-

malevolorum hominum obtreccionibus obiceretur. Id tamen, an querar apud vos hodie, an mihi potiùs, genitricis meæ gratulabor, dum quotidianis adversariorum calumniis video Normannos provocari? Durum est quidem atque intolerabile, non posse virtutem sequi, nisi cum invidiosâ hominum gente conflictandum sit; hanc verò sortem habere cum ipsâ virtute communem, debet perhonorificum videri. Nam cum nulla sit in universo terrarum orbe natio, cui plus vel ingenii, vel indolis bonæ natura inleverit, quàm nobis, idque ipsum inficiari palàm adversarii non audeant, hanc ineundam duxerunt de Normannis maledicendi viam, ut dotes illas præstantissimas, quibus excellimus, pejorem in partem inverterent.

Audiistis ipsi vestris auribus, quàm duriter, & acerbè nos habuerint, quanto cum dedecore traduxerint, quàm malitiosè geminas illas virtutes interpretando in proxima vitia detorserint. Quare ut apertè vobis persuadeam, Judices, nullam esse in Galliâ gentem, quâ Normanni superiores videri non debeant; hoc unum mihi faciendum incumbit, ut illas, quibus insitam nobis, tum ingenij præstantiam, tum indolis bonitatem impetunt, criminationes diluam, & ab una invidia profectas esse demonstrarem.

Ac de ingenio quidem nostro ita sentiunt homines malevoli, ut nos, dum nec hebetes planè, nec plumbeos nasci profitentur ultrò, eâ, quam adepti sumus, facultate abuti crimentur. Næ liberales illi profectò, qui saltem aliquam ingenij laudem nobis non inviderint. Viderunt enim verò Accusatores non imperiti, quàm temerè stoliditatis ac stultitiæ Normannos insimulassent, apud quos nemo, nisi ingeniosus ac prudens nascitur.

scitur. Nōrunt non esse de nihilo, quōd suam in Normanniā sedem posuisse Sapia nuncupetur. At ecce inclamantes audio, & exprobrantes nobis, quōd callidi prāter modum ac vafri, quōd rebus nostris nimium attenti, quōd in fruendis dolis ac fallaciis solertes plerumque & eruditi videamur. Magnum enimverō crimen, Judices, propter quod, non debitā modō supra gentes cāteras excellentiā privari mereamur, sed in longinquas etiam, si superis placet, terras amandari.

Id tamen, dum obijciunt illi, quid faciunt nisi innatam nobis prudentiam, atque industriam invident. Dolet illis nimirum, quōd in rebus singulis cernamus acutiūs, quā ipsi possunt homines oculati atque perspicaces; quōd tueri res nostras sapienter, quōd easdem solerter promovere noverimus; quōd apertum latus offeramus nemini; quōd laqueos ac pedicas, quibus illi circumveniri se sinunt, cautē declinemus. Nempe, ut placeamus viris illis honestissimis, ut eorum aucupemur gratiam, ut eorum probari iudicio, collaudarique digni simus, imitabimur stuporem ipsorum atque imprudentiam; circumduci nos patiemur alienis fraudibus, cedemus de jure nostro, & pretiosum illud, quod accepimus, & Superis ipsis acceptum gratulamur, sapientiā munus inertī languere in otio sustinebimus? Hoc porrō velle, quā iniquum est, Judices integerrimi, quā alienum est ab aurā illā mediocritate, quā nos sedulō Normanni profiteremur.

Agite, enimverō, an dotes illas, quas gentes cāterae natali solo accepas debent, malignē detrimimus? An Aremoricis quadratos pugnos, laceratos ingentes, paratum adversus quaslibet nodos

B

forum

forum etiam fustium procellas caput, contractam idoneamque luctæ vel pugillatui corporis brevitate, an Vasconibus Hispanicam ac turgidam oris conformationem, scurrilem plerumque jocandi modum, peregrinum vocis sonum, & ad captandos ineptorum risus aptissimum; an Parisinis cultus illos elegantiores, linguæ subtilitatem, umbratilem desidiam invidemus? His dotibus gaudeant, per me licet, dum divinâ saltem Normannicæ sapientiæ particulâ frui nos patiantur.

Quanquam quid hæc persequor operosius, Judices? Hoc ipsum, quod temere criminantur in nobis rerum nostrarum studium, itane gentis Neustriacæ proprium est, ut, si vitium illud est, eo præter Normannos laborare nemo videatur? Dicite, amabo vos, quæ natio, quæ gens, quæ tellus eo infecta veneno non est? An Vascones? qui lætioris fortunæ sortem, si quam adepti sunt, hanc uni plerumque industriæ acceptam debent? An Parisini, apud quos tam multis in locis rei solerter faciendæ disciplina traditur? An Aremorici, quibus est illud veluti propositum quoddam heroicæ prudentiæ facinus, fallere ut Normannum possint?

Atenim rursus objectant, neque enim ullum faciunt maledicendi finem, qui Normannos impetere tam malitiosè solent; atenim, inquam, rursus objectant, malis utimur ad res nostras artibus, mendacia, dolos adhibemus, cum opus est, neque dubitamus aut veritatis, aut bonæ fidei dispendio, quod è re nostrâ sit, procurare. Quæ vox illa tandem, aut ubi sunt illi Normanni, quibus id objici meritò possit? O si quos ejusmodi infelix aliquis Neustriæ angulus eduxisset! ut exularent statim à nobis, ut peregrinas longiùs in ora amandarentur! ut Parisinorum, aut Vasconum in grege

grege cum ejusdem farinae hominibus delitescerent! ut meritas nequitiae suae poenas exsolverent! Neque enim minus amica Normannis probitas, & fides minus incorrupta, quam expers fuci dolique prudentia.

Et fructus sunt illi scilicet suavissima illius indolis, quam nobis etiam invident homines malevoli, & quam inficiari palam, quia non possunt, criminari saltem, & pravum in sensum conantur detorquere. Notum est omnibus, quam idoneam hominum societati, quam aptam ad vitae communis usum, quam facilem ac flecti ceream alienam voluntate indolem nacti simus. Hoc quidem non negant Normannicae virtutis aemulatores invidi; sed pusilli abjectique in nobis animi indicium calumniantur. Scimus collaudare quae bona sunt, quae mala sunt, prudenter dissimulare; arridere gaudentibus, lugentibus amicè collacrymari. Hoc quoniam hominibus illis non placet, Normanni, inquam, natio comæda est, larvata, personata. Facit morum nostrorum suavitas, amabilitas indolis, ingenii quaedam comitas & affabilitas, ut in benevolentiam cujusque adrepamus, devinciamus animos, & potentibus illecebris in partes nostras pertrahamus. Quid aiunt Parisini? quid Aremorici distitant? quid Vascones mentiuntur? Quod facimus cumque, mera cavillatio, mera adulationis est. O infelices Normannos, quibus, cum suavissimo virtutum comitatu, virtutis fructu frui non liceat!

Tamen in Normannos insurgant, quantum volent, iniqui obrectatores, nihil nos vel ingenii, vel indolis, quam accipimus à Superis, poenitebit. Atque ut norint adversarii nostri, quantum & bonitati causae & iudicium aequitati confidamus, parcemus in eos maledicta congerere, qui nos

maledictis appetierunt; & unâ virtute contenti, virtutis etiam præmio, si oporteat, ultro lubenterque carebimus.

PARISINUS:

Quid priùs mirer, aut quid mirari magis conveniat: Judices æquissimi? novâne ac singularem prorsus istorum hominum in dicendo confidentiam, an vestram in eisdem audiendis humanitatem atque patientiam? Nam quis ferat, amabo vos, eò venisse temeritatis peregrinos, atque alienigenas, ut in urbe totius orbis facile primariâ de principatu originis contenderent; ipsosque civitatis ejusdem indigetes Judices atque arbitros non vererentur, quorum non iudicium modò, sed vultus etiam atque oculos pertimescere debuissent.

Equidem diù multùmque dubitavi, Judices, num fuitiles inani verborum pompâ oratiunculas confutandas aggrederer, & tam perspicuam apertâque Parisini juris antiquitatem ullo orationis præsidio confirmarem? Verùm ne fortè ex meo silentio occasionem illi raperent efferendi sese jactantiùs, pauca Parisinorum in gratiam Parisinus ego sic loquar, ut non tam jus tueri dubium contra temeritatem atque audaciam, quàm oblatum collaudandæ patriæ locum videar lucro apposuisse.

Tamen nolite expectare, Judices, ut reverendam civitatis hujus antiquitatem, quam à Trojano Paride quidam repetunt, ut superbam monumentorum varietatem, ædificiorum magnificentiam, palatiorum multitudinem extollam; ut nobilitatem populi, opes, fortunas vobis ostentem. Hoc unum habeo dicere, quod citra omnem

omnem jaſtantiae ſuſpicionem prædicari de civitate Pariſienſi, de nulla alia pronunciarî poſſit; quòd non Europæ tantùm, ſed totius orbis caput haberi debeat; quòd Galliae oculus, ſedes majeſtatis, aulae domicilium, præclararum artium officina, ingenij politioris habitaculum, doctrinae palæſtra, lepôris, elegantiae, venuſtatis, inſtitutionis bonæ ſchola omnium calculo nuncupetur.

Et verò ubi gentium tandem Regum majeſtas tanto apparatu ac ſplendore ſe prodit & explicat? ubi viſitur politior Aulicorum cœtus? ubi vigent acriùs Literarum ſtudia? ubi liberales diſciplinæ diligentius excoluntur? ubi perficitur ingenium accuratiùs? ubi Juventus feliciùs educatur? ubi denique lepor, elegantia, concinnitas magnificentius dominantur?

Jam percurre, ſi voles, ſingulas Galliae provincias; Europam totam perluftra. Sed quid Galliam, quid Europam dico, orbem etiam univerſum ſcrutare diligenter. Invenies aliquem uſpſiam populum, apud quem aut indolis ſuavitas major, aut amabilior morum docilitas, aut propenſior, vividiôrque ad omnem virtutis cultum alacritas eluceat, quàm apud Pariſinos? Hic pietas ſine affectatione, gravitas ſine arrogantia, magnificentia ſine oſtentione, candor ſine fallaciâ, prudentia ſine ſimplicitate, ſuaviſſimus denique virtutum omnium comitatus, ſine ullo vitiorum contagio effloreſcit.

Verùm quid hîc immoror, aut quid adjiciam plura ad gentis noſtræ commendationem, dum illi ipſi, qui Pariſini populi gloriam verbis elevant, eandem factis omni prædicatione efficaciùs extollunt? Quotus enim quiſque eorum eſt, qui verſari Pariſijs non amet & annumerari nobis-

cum non gloriatur? Quo studio nostræ consuetudinis suis illi de provincijs Parisios convolant? quàm ægrè, quo bonæ urbis desiderio in easdem recedunt aut necessitate temporum, aut rei familiaris inopiâ? Videas, qui parcè vivant apud se, duriter se habeant, qui delitescant rure multos per annos, defraudentque genium, ut comparare aliquid unciatim possint, unde victitare nobiscum aliquamdiu Parisiis liceat. Scilicet notum hoc ipsis, spectatumque est, & meritò quidem, Judices, tamdiu se rudes atque impositos fore, donec in hac nostra urbanitatis ac lepōris officinâ culti fuerint ac perpoliti. Videre mihi videor famosas illas, & omnium gentium præconijs celebratas Athenas, quò ex universis orbis partibus spectatissimi quique viri ita confluerent, ut nemo vel ad ingenij, vel doctrinæ, vel elegantie famam posset aspirare, nisi in illâ artium omnium palæstrâ prius fuisset exercitatus.

Insicias eant per me licet, & orationi reclamæ meæ vel Normanni, vel Vascones, vel Armorici, quorum hic magnam video vel intra domesticos hujus Lycæi parietes multitudinem congregatam. Est eorum aliquis, quem nostræ urbis pigeat? cui desit hic aliquid ad bene, beatèque vivendum? qui præclare secum actum non putet, si domesticos Parisiis penates figere in perpetuum liceat?

Quare videte, amabo, Judices, si qui fortè hic essent, quod ego non crediderim, gentem in nostram minùs liberaliter affecti, ne, si quid pejus in Parisinos statuunt, sibi ipsis contradicere, & quod suâ agendi ratione palàm approbant, id tacitè malignis ac sinceris parùm iudicijs improbare videantur.

PICAR-

PICARDUS

Inexpectatus & improvisus Intercessor.

Ergo sic despiciunt nos Picardi? dum illi de Principatu acriter inter se contendunt, nos interim inertes ac lenti otiamur? ô Picardorum fors luctuosissima! Itane verò inventum esse neminem, qui nostras partes ageret, & illatam provinciae nostrae injuriam vindicaret? Exoriatur aliquis in tam florenti juventute dignus ultor nostri nominis! Nemo se offeret? nemo illorum hominum fastuosam sagacitatem retundet? Tamen non inulti moriemur. Ipse, ipse, quamvis sciam in totâ gente nostrâ inferiorem esse me neminem, pulpitam conscendam. Date locum, atque imparatus licet, ex tempore perorabo. Si natura negat dabit indignatio, unde exultantes juveniliter derisores illos aggrediar, superem, deijciam.

Itane verò contemnendi vobis videmur, homines belluli ac polituli? Ut mihi movistis bilem, dum fucatâ ac cerussatâ oratione nugae vestras divenderetis! Hic ingenium scilicet, ille corporis elegantiam, alius fortitudinem, alter auream indolis bonitatem, quasi res suas ostentârunt. Atqui scire vos oportet, hoc esse Picardorum fatum, ut nulli vestrum hac in re cedere videantur.

Ac de ingenio primùm quoniam illi tam acriter disputant, atque res inter suas nobilem illam supellectilem annumerandam putant; agite, quaeso vos, Judices, quâ tandem in re positam ingenij vim, aut quem ingeniosum esse creditis? Eùmne, qui confectetur ambitiosius inanes sententiarum flosculos, magnificam verborum

pompam, futilem ac ludricum totius orationis apparatus, quem illi tam insolenter extulerunt? Ille, ille ingeniosus est, qui præditus bono, ut ajunt, sensu; qui benè comparatus à critirio, qui rectam singulis in rebus adhibere nôrit iudicandi normam ac regulam. Hanc porrò laudem nobis quis invideat, Judices, aut quis venire nobiscum in contentionem confidat?

Elegantiam corporis ac politulam formæ venustatem, quem Vascones & Parisini tantopere jactitant, nihil moror: nôvi quàm parùm isthæc ad veram laudem pertineant, &, quæ ipsi non fecimus, vix ea nostra puto. Tamen nolite superbire insolentiùs elegantuli homunciones; sunt & in patria nostra, qui nihil in eâ re vobis cederent. Ac licèt fieri de cæteris ex me conjecturam non velim; tamen nihil video, quod in hac nostra mediocritate tantopere sit contemnendum.

Quamquam ferrem æquiùs, judices, elegantulos ac politulos haberi pusiunculos istos, nisi etiam & fortitudinis laudem sibi impudenter arrogarent. Egregium enim verò fortitudinis domicilium, tantula delicatiorum hominum corpuscula! Næ consultam parùm illi æstimant naturam, Judices, quæ tanto hospiti tale præparâset hospitium! qui plenos nervis ac robore lacertos, amplum ac spatiosum pectus, latos humeros, ac cætera corporis firmamenta ostentare possunt, illi, per me licet, fortes ac generosi nuncupentur. Sed quid ego hæc disputo verbosius? Est aliquis vestrùm, qui facere cum Picardis fortitudinis periculum velit? qui conferere nobiscum manus audeat? filetis, obstupescitis? Ne Vasco quidem hiscere contra quidquam confidat. Prudenter vos quidem ac consultò facitis; neque ii pariter

ter sumus, quibus rixæ contentionesque placeant.

Tamen hoc restabat unum, Judices, ut illi candorem ac bonitatem indolis Picardis inviderent. Quo quid iniquius, amabo vos, quid alienum magis à communi hominum opinione jactari poterat? Quasi sit aliquis uspian, qui nesciat, tam esse propriam Picardiæ bonitatis laudem, ut boni κατ'εξοχήν Picardi nuncupentur! Atque utinam non tam boni semper, Judices! Si quis est in nostrâ gente nævus, is ab una bonitate profectus potuit videri. Quamquam nihil piget; juvat vel aliquo nominis nostri dispendio, bonitatem tueri tanquam nostram posse.

Non ego vos morabor oratione longiori, Integerrimi Judices. Facite, quæso; ut quanto contumeliosius despectam in hac controversiâ gentem nostram sensistis, tanto illustriorem in Picardos sententiam feratis.

ARBITER ET JUDEX

Controversiæ.

Non est illud novum & insolens, quòd inter eos, qui varias orbis regiones incolunt, de prerogativa patriæ, quam singuli agnoscunt suam, frequentes ac vividæ contentiones oriantur. Est hic ipsius naturæ sensus, quæ ut neminem patitur esse eorum immemorem, à quibus vitam accepit, ita nec terram illam, quam quisque nascens primùm aspexit, cujus adolevit in finem, cui munera debet, quibus fruitur, sinit oblivisci. Quare adeò reprehendendum non putem studium illud, quo tuendæ & supra cæteras extollendæ patriæ suæ nobilissimi Juvenes exarse-

B 5 runt,

runt, ut dignum laude, dignum ingenuis ac liberalibus animis esse judicem. Verum nec cæcus, nec injustus esse debet hic amor natalis soli, qui vel temerè sentiat de suis, alienisque rebus, vel iniquum de iisdem iudicium ferat.

Equidem sensimus, vos, quotquot estis, oculatos inprimis ac perspicaces in pervidendis rerum momentis, quæ singulorum causæ suffragari poterant. Non latuit Vasconem nativa illa ingenij sagacitas atque solertia, quam rebus suis promovendis illi Galliz ulterioris incolæ non infeliciter adhibent; extulit inprimis insitas genti suæ dotes corporis & animi, quæ perstringere oculos, & facere fucum solent: prædicavit confidenter præfractam illam urbanæ frontis audaciam, quam nullus repulsæ metus perturbet, nec tentati temerè plerumque operis irritus labor infringat. At non vidit, aut certè dissimulare visus est externa illa, quibus Vascones gloriantur, vel corporis, vel animi ornamenta, non ab similia videri nascentibus identidem ex improvviso in mediâ aëris regione facibus, quarum illud fatum est, ut curiositatem primò moveant, & admirationem; mox dum resolvuntur, & evanescent, vanitatis suæ atque inanitatis admonent.

Meliorem in Aremorico fidem experti sumus. Nam ingenij politioris elegantiam, facundiam in dicendo, in jocando dicacitatem rebus in suis numerandas non putavit. At fortitudinis gloriam atque indolis bonitatem ita sibi vindicavit tanquam suas, ut in utràque non modò cuiquam non cederet, sed etiam superiorem agnosceret neminem. Hoc porrò tamne verum est, quàm ille profiteretur? Absit ut Aremoricæ genti, quam magno semper duxi ponendam in loco,

ego

ego detraham, aut quidquam laudis illius, quam meretur, deterere videar. Scio minimè malos esse Aremoricos; imò probitatem in ipsis, fidem, devotum in amicos studium agnosco, & veneror: At propensam illam ad benè merendum voluntatem, quâ potissimum illi gloriantur, numquid exoptulare verè possit sic exhaustam videri suæ gentis in gratiam, ut ejusdem gloria minùs ad cæteros pertineat? Quod spectat ad fortitudinem, quam rebus pelago præclarè gestis consignatam imprimis fuisse Aremorici jactitant, nemo certè hanc ipsis invidet laudem, aut de regno Gallico bene meritis ultrò non gratuletur. Tamen ad acuendos, stimulandósque heroum istorum animos plùsne virtus ipsa, quàm utilitatis illecebra valeat, contentiosam movere quæstionem abstinemus.

Laboravit in eo tota Normanni industria, ut, quam malitiosi homines inusserant suæ genti subdolæ mentis, suisque commodis servientis animi calumniam, depelleret. Dolet illi nimirum hoc sibi vitio dari, quod apud ipsum summæ sapientiæ specimen est; tàmque insitum homini putat esse res promovere suas, dum occasio commoda se offert, ut miretur id in se tanquam vitiosum incusari, quod in omnes, quodcumque nacti sunt solum, cadere necesse sit. Hoc porrò si Normanno condonabimus, ut candidæ & ingenuæ mentis laude perfruatur; si neque eo incusandus nomine videbitur, quòd utilitati propriæ studeat præter modum; an continuò Principatus prærogativam feret, & cæteris, quibuscum ipsi hodie contentio est, anteponendus censebitur? Non est, mihi credite, tam ambiuosa gens illa, ut priores partes sibi vindicet, si modò ingenij sui atque indolis obtrectatoribus os occluserit.

Imò

Imò quoniam ita comparatos Normannos experimur, ut solâ virtute contenti, virtutis præmio ultro lubentèrque carere sustineant; ne ipsis hanc invidemus gloriam, ut cum cæterarum virtutum comitatu singularis modestiæ conscientiam perfruantur.

Et Picardum laudis æmulatio stimulavit: homini si creditur, debetur genti suæ contentionis hodiernæ palma, nec sine gravi offensione Picardia potuit principatu frustrari. Extemporalem ingenii fœtum, acres animos, nec impolitam, pro gentis indole, Orationem suspexistis. Tamen putatis rem actam serio, aut tantam esse Picardo fiduciam, ut reliquos inter Galliæ populos prærogativam ambiat? Ego non temerè forsan suspicer, fecisse innatum patriæ amorem, & insitæ bonitatis mentem consciam, ut doleret nullam haberi de provinciâ suâ quæstionem, & Picardos nullo reputari in loco, qui ubi agitur de gloriâ, silentio præterirentur. Quare, ne qua sit hominibus bonis exoptulandi causa, noverint esse se eo apud nos in pretio, quo decet, tamque verendos apud omnes, quàm amandos videri.

De Parisinis una moveri deinceps controversia possit, Judices, & quem inter omnes, qui primas sibi vindicant, tenere debeant gradum, dirimendum superest. Mihi porrò visâ est, credo item & vobis, dicentis oratio pro tuendâ urbe regni primariâ, verecunda inprimis ac modesta, qui non tam in celebrandis gentis suæ moribus, quàm in ipsâ locorum, quæ nactus est, commendatione moratus sit. Tamen quis neget Parisinos habere multa, quæ citra cujusquam vel invidiam vel offensionem laudanda videantur. Est uspiam urbs aliqua, quæ tam moratos, tam candidos, tam in omni vitæ commercio commodos cives & expe-

expetendos ferat! ubi suavitas indolis amabilior, polioris cultus major elegantia, festivior ingenii viget amenitas? Est aliquis in provinciis educatus tam feliciter, qui sibi ad humanitatis ipsius perfectionem deesse aliquid non putet, quamdiu Parisinos inter excultus ac perpolitus, inde bonarum artium gustum ac saporem non contraxerit. Sed quoniam ista pro jure suo ambitiosius sibi non arrogat Parisinus Orator, hæreamus inter eos limites, quos ipse sibi præscripsit. Laudavit antiquitatem hujus urbis, majestatem, apparatus, magnificentiam; commendavit multitudinem civium, nobilitatem, elegantiam, comitatem. Extulit tot celebres Academies, in quibus excoluntur ingenia, erudiuntur, perficiuntur; tot officinas omnis generis artium, quæ naturam æmulantur tam solerter, penè dixi, vincunt ac superant. In quo quis ipsius Orationi reclamet, aut venire dignitatis in contentionem confidat? Quanquam ex ipso litigantium judicio, quid de Parisinis sentire conveniat, æstimemus. Agite, quotquot estis; si vestra vobis provincia tantum placet, quid juvat immorari Parisiis cum fastidio? Repetat unusquisque Penates suos, & illic beatam ac felicem sine rivali vitam exigit. Quid exteris invisâsque sedes tot sumptibus incolitis, quibus bene esse licet natali in solo, & vestros inter populares amorem patriæ dulcissimum explere? Sin verò vos tanta gentis vestræ ceperunt tædia, vivere nobiscum & nostris institui moribus lucro apponitis, fateamini necesse est, nullum in totâ Galliâ populum esse Parisinis præferendum.

HORA.



HORATIUS SO- RORICIDA.

CAUSA SECUNDA.

In Genere Judiciali.

ARGUMENTUM.

Partâ de tribus Curiatiis victoriâ, cum eorum onustus spoliis Horatius urbem ingressus esset, in Sororem Virginem incidit, que desponsa uni ex tribus Curiatiis fuerat. illa cognito super Fratris humeros paludamento sponsi, quod ipsa confecerat, solvit crines, & suo sponsum nomine mortuum flebiliter appellat. Movet feroci Juveni animum comploratio Sororis in victoriâ suâ tantôque gaudio publico, strictôque protinus gladio Puellam transfigit. Horatius perduellionis reus accersitur à Duumviris, & morte damnatur.

*natur. Provocatione certatur à Duum-
viris ad Populum, qui Horatium ab-
solvit.*

ACTORES.

M. VALERIUS, Ater è Duumviris Ho-
ratii accusator.

P. HORATIUS, Perduellionis reus.

P. HORATIUS, Horatii Perduellis Pa-
ter ac Defensor.

TULLUS HOSTILIUS, Rex Ro-
manorum.

M. VALERIUS,

*Alter è Duumviris P. Horatii Ac-
cusator.*

SI quis unquam, Rex æquissime, vòsque aded,
quotquot hic adestis, Quirites, molestam ac
difficilem accusandi provinciam, & odiosum
detrahendi etiam de amico officium expertus est;
nunc mihi certè invisum in primis accusatoris no-
men & plenum acerbitate durissimâ munus de-
buit videri. Etenim sentio totam oneris illius
gravitatem, quod mihi ratio communis utilitatis
imponit; video quàm alienum sit ab ipsâ huma-
nitate, virum optimè de patriâ meritum, liberta-
tis publicæ vindicem ac tutorem, eundem mihi
arctissimo necessitudinis vinculo conjunctum Per-
duellionis reum accusare. Verùm idem ille pa-
triæ amor, cujus causâ Horatius suum præsentis-
simo

limo periculo caput objecit, cui sororis unicæ vitam putavit esse immolandam, idem, inquam, amor ille patriæ me cogit, ut debitas ab eo pœnas repetere non dubitem, cui lauros perennes parta cum victoriâ Populi Romani libertas videtur postulare.

Igitur miretur nemo, si, quam celebranda recenti victoriæ vocem ultro commodarem, eadem nunc ad increpandum victoris parricidium, & poscendam judiciorum severitatem utendum judicaverim. At Te, Rex sapientissime, vósque integerrimi Judices, considerare diligenter velim, quid præsens tempus à vobis, quid tota retro posteritas per me deposcat; vestrum est in hodierno exemplo statuere, quid de scelere omnium maximo sit deinceps sentiendum.

Hic verò disputare tecum acrius, Horati, non velim, quàm parvi fuerit animi, quàm indignum conditione tuâ, quòd vir in Puellam, armatus in inermem, quòd ferox ac recenti inflatus victoriâ in afflictam, & vix dum extincti sponsi morte desolatam insurrexeris; atque hinc vide, quàm non ego sim iniquus reo, quàm non molestus accusator.

Alia sunt, Quirites, gravioris cujusdam ponderis ac momenti, quæ orationem ad se convertant totam, nec in aliis rebus evagari patiantur. Id porro flagitii genus, quòd vestram hodie vindictam exigit, est ejusmodi, Judices, ut quoniam in civitate nostrâ nullum habuit ad hunc usque diem exemplum, nulla in auctores pœnarum ratio decreta sit. Putârunt nempe sapientissimi majores nostri, tam alienum esse à Romanâ virtute parricidium, ut nullo coërceri supplicio, nullâ propositâ pœnâ deberet prohiberi. Quod enim vel ipsa communis hominum parens ac magistra

vitæ

vita natura omnium in animis jam diu proscriptisset, idem non videbatur cadere in civem Romanum posse, qui hostilem fundere sanguinem, non propinquum, aut etiam fraternum didicisset. Si tamen tam sanctos refringere limites unius hominis non pertimuit audacia; si vidimus hodie sub oculis nostris admissum, quod fieri posse nemo vestrum attimasset; videte, Judices, nisi quamprimum obstat justa severitas, ne malum impunitate crescat, & tam perniciosum inusitati facinoris exemplum latius propagetur.

E enim ea est Romani Imperii conditio, ut licet propinquitatis vinculo, ac communione sanguinis cum populis circumadjacentibus gaudemus, graves tamen cum ipsis interdum gerere inimicitias, & mutuas ruere in caedes vel inviti ac reluctantes adigamur. Nam cum rerum feliciter gestarum gloria soleat vicinorum oculos perstringere, & quidquid æmulum laudi ac potentiae accedit, id ipsum auferri sibi existiment; nulla vel affinitatis necessitudo, vel sanguinis propinquitas impediatur, ne, dum alienis vicissim incrementis volunt obistere, gravissimas utrinque dimicationes sustineant. Quæ cum ita sint, quis non videt; quis non intelligit, nemini deinceps fore licitum, suorum ut lugeat funera, & sublatos armorum fato propinquos desideret? adeoque jus illud omne, quod innatum nobismet ipsis videri possit, ut nostram in propinquos charitatem ac pietatem significemus, unius temeritate facti, unius hominis scelere atque insolentia penitus esse sublatum?

An verò privatum hominem tantum habere cives in suos juris, ut durissimum cæteris omnibus jugum imponat? Tunc igitur, Horati, hostilem impetum à patriæ mœnibus repulisti, ut eandem

C

dome-

domestico furore violares? tunc victoriam de hostibus reportasti, ut eadem civium in perniciem abutereris? tunc conclamaram jam penè hujus urbis libertatem vindicasti, ut eidem tali facinore gravioris servitij metum injiceres? O urbem miseram! ô infelicem patriam! ô acerbam nimis gentis nostræ conditionem, cui neque vinci, neque vincere sine civium pernicie ac libertatis exitio deinceps licebit! Quid enim posthac Juventus Romana naturâ suâ ferox, & impunitatis expectatione confirmata non audebit? quos cupiditati suæ fines, quos impotentia frænos imponi patietur? Quis erit victori modus, cui rerum bene ac feliciter gestarum gloria novam innata ferocia insolentiam adjiciet? Victoriæ scilicet ac triumphorum in umbrâ tutus cædes, rapinas, parricidia, & si quod aliud robustioris improbitatis excogitari facinus potest, impunè perpetrabit.

At enim infelix Soror spolia desponsi sibi conjugis sanguine cruentata sine dolore aspicere non potuit: ô scelus! occisum à Fratre luxit conjugem, ô impietas! flebilibus lacrymis sponsi manibus parentavit; ô flagitium nullo satis gravi supplicio expiandum! Tunc ergo, Horati, pietatem vitio, virtutem crimini vertendam arbitraris? an non aliquid de victoriæ ferocia remittere te, ut liberum Sorori tuæ dolorem permitteres? an non vel patriam ipsam tantisper oblivisci, ut aliquid naturæ, aliquid pietati conjugum indulgeres?

Sed esto: peccarit illa, dum cruenta sponsi sanguine spolia execrata est. Nihilne sibi vindicet muliebris infirmitas, nihil sexûs imbecillitas exoret: Nihilne sibi postulet ignosci amica Soror, quæ conjugis in Fratre interfectorem agnoscat?

Non

Non ergo visum est satis, si immoderatè dolentem verbis castigares, si nimium & intempètivum amorem reprehenderes, nisi auctoritate propriâ Judicis ac tortoris vice fungereris, nisi per summum nefas propriam in Sororem ferociter insurgeres, nisi crudeles ac parricidales manus tam propinquo sanguine cruentares?

Sed quid adjiciam plura? Vides enim verò satis, Rex æquissime, pro tuâ, quæ singularis est, perpicaciâ, vides, quid æquitati, quid patriæ, quid regiæ auctoritati, quæ omnia Horatius violavit hodie, debeas. Itaque parco ulterius persequi tantæ atrocitatis supplicium, cui vix ulla par pœna possit inveniri. Non peto iterum atque iterum parricidii tam atrocis auctorem capitali sententiâ multari, quem humana jam divinâque jura morte damnarunt. Unum oro, ne te pigeat vel victorem plectere, qui parricidii immanitatè victoriæ gloriâ obscuravit. Nihil te retineat libertas Populo Romano vindicata, quæ non tam Horatii virtute parata, quam singulari quodam Romanæ urbis fato, vel concessa, vel potius conservata videri possit.

P. HORATIUS,

Perduellionis Reus.

O duram rerum humanarum vicissitudinem!
 O deplorandam sortis levitatem & inconstantiam!
 Ecce reus capitis vestrum in judicium accerfor,
 Quirites, qui vestra omnium capita ab interitu
 vindicavi! Mihi fatalis & funestus dies hic claudis-
 , qui tam ferenus, tam fortunatus primùm
 auxit! Ecce in servitutem libertas, victoriæ
 ampus tetrum in carcerem, triumphî pompa lu-
 gubrem

C 2

gubrem in apparatus, currus victori debitus in infame patibulum commutatur !

Noli tamen existimare, Rex fortissime, neque vos, Quirites, quoi quot hic adestis, arbitrari; hac me venisse mente vestrum in conspectum, vel ut facinus, de quo nunc arguor, excussem, vel ut paratam pro eo facinore pœnam indignâ prece coner declinare. Loquitur pro me satis maectatus hac ipsâ manu superbus hostis; causam agit meam parta recenti victoriâ communis libertas; Patria ipsa servitutis metu vindicata, in tanto liberatoris sui periculo, nec conticescit, nec vitam, quam me exorare pigeat, non precatur. Nam cur ego vel vitam orem, vel mortem deprecer, qui nec dignum morte egerim quidpiam, nec quidquam indignum vitâ patraverrim. Scilicet vertatur hoc mihi in probum & in dedecus, quod gloriosissimum debuit reputari ?

Athenim occisa Soror, & manu Fratris occisa. Fateor, Quirites; nec fateri me pudet: nec facinus, si liceat, infectum velim. Feci enimverò, non temerè, sed iudicio; non per iracundiam, sed deliberatâ voluntate; feci quod Patria quâcumque propinquitate sanguinis propior ac carior postulabat. Urbis dedecus, labem patriæ, pestem atque exitium publicæ libertatis sustuli, maectavi, exterminavi.

Et hoc mihi tanquam indignum homine Romano facinus quisquam exprobet: Soror illa sit mihi nimirum, aut hoc nomine digna reputetur, quæ vivere superstitem è tribus fratribus unum expostulat? quæ maectatos hostium furore fratres, sui ipsius oblita sanguinis non dolet? quæ sublatum hostem patriæ libertatis desiderat? quæ redemptam vilissimo sanguine salutem urbis atque

que tranquillitatem conqueritur? Saltem si remotis arbitris sola, si privatim, si conclusis in ædibus dolori indulgisset, si abstinuisset prodire in publicum, ferendum id quoquo modo videri potuisset, Quirites, & imbecillitati muliebri fortasse condonandum. At venisse illam frequentissimum populi totius in conspectum; Romæ exultantis ac triumphantis gaudia intempestivo luctu, plausum gemitibus, lachrymis lætitiâ, festas omnium acclamationes importunis querelis interturbasse! Non erubuerit infelix mulier dolere palam de communi libertate, quam vel fuso sanguine bene redemptam frares sui lætarentur! Victoriâ illam omnium in oculis detestata sit, quæ salutem huic urbi, securitatem Populo Romano attulisset? Hanc inuulerit familiæ nostræ labem, ut una partam tanto pretio servatâ Romæ gloriam nobis invideret! Maluerit illa salvum esse conjugem, quàm eripi quemquam è suis de periculo, quàm patrem servari superstitem, quàm victricem Romam gaudere libertate? Et hoc Romanus impunè, hoc libertatis vindex & assertor, hoc Horatius victoriæ compos pertulisset? non vindicasset vel proprio in sanguine illatam Romanæ gloriæ injuriam? turpem ignominiam, patriæ probrum ac dedecus, segnis ac lentus spectator aspexisset!

Sed quid ego hic moror? si novum illud & insolitum Romanæ libertatis studium pœnâ dignum est; si scæmiæ imbellis vita videtur libertate potior, si assertor ejusdem libertatis nullum aliud virtutis ferre præmium debuit, præter infame patibulum; si statuisset apud vos victorem Horatium supplicio capitis, infortunatum patrem luctu perdere: nihil ego mortem deprecor, Quirites; quæcumque mihi subeunda sint supplicia, non im-

paratum Horatii pectus inuenient; neque gloriosum non putabo, post ereptam fortiter hostium è manibus Patriam, pro eadem itrenuè ac viriliter, vel turpissimum dedecus perferre. Hoc saltem dabimus futuris deinde ætate salubre documentum, quanto vir Romanus patriæ studio flagrare debeat: discant vel ex me, nihil esse tam durum, tam infame, tam acerbum, quod perpeti ultrò non oporteat, quoties patriæ salus aut gloria postulabunt. Unum est mihi vel in turpi morte solacium, Quirites, quòd facinoris illius mei approbatores non paucos, patrem verò amanissimum etiam gratulatorem nactus sim; doliturus, ut ingenuè fatear, mirum in modum, si præter spem atque expectationem tantum viri suffragium abuisset.

Cæterum gaudete, Quirites, partâ laboribus meis gloriâ; gratuletur sibi quisque receptam ex gravissimo discrimine libertatem. Fruatur beato tranquillitatis otio, quod domitus hostis ac victus videtur attulisse. Nemo me extinctum doleat acerbius, quàm mihi metipse dolendum putem. Unum oro vos atque obtestor, si quid recentis victoriæ beneficio meruisse videar; ut, cum pendentem ab infami patibulo videbitis Horatium, meminisse non pigeat, eundem illum esse, qui vos omnes, qui urbem hanc pulcherrimam, qui patriam denique universam à turpissimo seruitutis iugo liberavit.

P. H O R A T I U S,

P. Horatii Perduellionis Rei Pater.

Etsi, Quirites, devoti pro charitate patriæ tres liberi eam afferunt misero parenti fiduciam,
ut

ut non frustra pro unico afflictæ domûs solatio de-
preceator accedat: tamen & ignorarem ipse me,
& uliori patriæ publicæque libertatis assertori in-
juriâ facerem, si vel eo jure tam legitimo ad
hodiernam infelicis Horatii defensionem uten-
dum arbitrarer. Nolite igitur expectare, Quiri-
tes, ut ego per miserabiles afflicti parentis lachry-
mas, per orbata fenestris acerbitatem, per im-
molatam libertati vestræ tergemina sobolem pa-
ratis filio pœnas amoliar, & excisæ gentis expe-
ctationem unicam mihi conservatam velim. Unum
oro vos, Quirites, unum ego te, Rex fortissime,
obtestabor, ut in causâ infortunati filii una Patriæ
ratio habeatur, & quod vel ex ipsius gloriâ, vel ex
ejusdem utilitate futurum cognoveritis, id sta-
nuere in eum non pigeat.

Nihil obito, Quirites, eripiatur misero Patri
dulcissimum ingravescentis ætatis præsidium; mor-
tem oppetat infelix Horatius, si patriæ gloria, si
redempta civium libertas, & Romæ triumphan-
tis exultatio patiuntur. Scilicet id sibi gloriosum
Roma arbitretur, si liberatorem suum perdat at-
que exterminet, si iis abutatur in Horatii perni-
ciem legibus, cujus victoriâ viguerunt? si sangui-
nem illius effuderit, per quem tot capita debitæ
neci victimæ servata sunt. Nam ubi tandem, Qui-
rites, tristissimum peragatur scelus? quodnam
inauditæ hæcenus sævitæ theatrum eligatur? an
intra Civitatis hujus mœnia, quam ex hostium
manibus virtute suâ servavit incolumem? an in-
ter confertas Romani exercitûs acies, quæ victo-
riæ testes triumphanti tam lubenter applauserunt?
an in hostili campo, quem Curiatorum sanguine
cruentavit? Dignum enim verò suæ in bene meri-
tos de patriâ cives pietatis, aut etiam æquitatis
documentum exteris gentibus Roma sufficiat! quæ

contumeliam pro laude, pro mercede supplicium, mortem pro triumpho rependeret! Æquitatem dico, Quirites; nam quid egit, amabo vos, infelix Horatius, quod iudicio capitis debeat expiare?

Non excusabo factum, Iudices, ut præferendæ juventutis ferocitatem obtendam, imò, imò tamen videbor fortasse durus & immisericors parens, tamen dum me Romanum esse memini, nihil vereor facinus illud approbare, quod in alio Romano quocumque collaudâssem. Quin & vos ipsos, Quirites, aut suffragari filio meo jam oportet, aut partam vobis ipsius gloriâ salutem execrari. Nam quo juvenis animo, quo studio ad vindicandam vestrum omnium libertatem exarsit, eodem infelix frater ad inferendas forori cruentas manus incensus est. Sit ille parricida, sit crudelis, & inhumanus etiam frater, at non potuit, imò non debuit æquius ferre vel sororem, quæ redemptam fratrum sanguine patriæ salutem ac libertatem doluisset? Non putavit fortissimus juvenis extinctos penitus ac profligatos Romanæ libertatis hostes, illa dum viveret, quæ suam Romano Populo laudem & gloriam invidisset, quæ durissimum servitutis iugum victoriâ potius existimâsset, quæ vestris omnium capitibus exitium, patriæ ruinam, Romæ turpissimum dedecus peroptâsset. Vel si sceleris habendum loco, tam malè de patriâ meritam occidisse; patrem plectite, Quirites non filium. Me, me adsum, scelus qui feci; hos ego juniore Horatio sensus, hos animos, hunc amorem in patriam instillavi filio, ut salutem publicam rebus omnibus duceret antiquior.

Si tamen filio meo vertendum in dedecus, etiam in pœnam, quòd debitam patriæ charitatem amori fraterno prætulit, quòd non de hostibus modò, sed de ipsa etiam natura viriliter triumpharit, videte, quæso, quantum vestræ urbi totique imperio detrimentum sitis allaturi. Nam quis deinceps aut curet patriæ gloriam, aut tutandæ publicæ libertatis gratiâ subire vitæ periculum sustineat; cùm illustria civium merita senserit tam malè compensari? Quis expectet mercedem aliquam, qui beneficium, quod esse poterat omnium præstantissimum, noverit tristissimâ morte multatum? Quis potius sibi non metuat, cùm vel ipsa patriæ charitas supplicio digna censeatur? neque enim Horatius infelix aut odio aut iracundiâ provocatus adversus sororem exarsit; unus patriæ amor invitavit juvenem, unum salutis publicæ studium impulit. Non credidit, Judices, tam indignos animo Romano sensus carere supplicio posse, oblitus est illam esse sororem suam, ut perimeret hostem; imitatus sapientissimum hujus urbis conditorem Romulum, qui Remum fratrem novæ urbi insultantem propriâ manu confodit. O mutata jam in pejus tempora! Ecce capitis reus nunc accersitur, qui triumphare meruisset! hoc imminet victori præmium, ut infamem religatus ad palum carnificis manu pereat! Tanti est amâsse patriam, tanti est pro salute communi suam suorumque vitam devovisse!

Nihil est, quòd adjiciam plura, Quirites; si tam gloriosum facinus vobisque tam utile dignum morte censebitis. I, Licitor, Colliga manus, quæ paulo antè armatæ imperium Populo Romano pepererunt: caput obnube liberatoris hujus urbis, & infelici trunco suspende. Verbe-

ra vel intra pomærium, modò inter pila & spolia hostium; vel extra pomærium, modò inter sepulchra Curiatorum. Quò enim ducere Juvenem hunc potestis, ubi sua eum decora à tantâ supplicij fœditate non vindicent?

TULLUS HOSTILIUS

Rex Romanorum.

Geminum hodie, Quirites, vidit Romanæ civitas sub oculis suis prodigium, geminum in eodem cive facinus aspexit: alterum omni prædicatione majus; alterum bonis funestum ac luctuosum. Hinc rapit in admirationem omnium animos insignis Horatij victoria, quâ Patriæ vindex, & publicæ libertatis assertor immortalis nomini Romano gloriam peperit; inde movet indignationem horrendum ejusdem parricidium, quo sororis interfector festivæ diei celebritatem funestavit. Neque verò necesse est, ut utrumque facinus, quod omnium oculis innotuit, operosius persequar. Nam quis vestrum ignorat, Quirites, quanto rerum in discrimine libertas nostræ versata sit? quis non intelligit, quantum relata ab Horatio victoriæ Romanum imperium debeat? Quis suas fortissimo Juveni opes, fortunas, vitam, securitatem ac pacem acceptas non refert? Imminabat enim verò gravissima patriæ nostræ perniciēs, & Roma ruinæ suæ proxima servitutis æternæ periculum adjerat. Jam conclamatum videri de salute nostrâ, jam desperare omnes rebus suis, & abjicere animos, jam exultare hostes, & sublatis armorum fato duobus Horatijs, quasi de parta victoriâ triumphare. Cum repente mutata in melius rerum facies; &

unjus

unjus hominis industriâ pariter ac virtute servitij periculum depulsum est. Hostes arma ponere, leges nostras accipere, vectigal perpetuum solvere coëgimus.

O diem faustum! ô victoriam omni præmio majorem, nisi atrocissimum facinus illius splendorem ac gloriam obscurâisset! Redibat Horatius inter lætas populi exultantis acclamationes tergeminis Curiatorum spoliis superbus; venit obviam infelix soror, non gratulabunda, sed dolore amens & luctu perdita, quæ Curiatorum in funere sponsum requireret; agnoscit inter hostiles exuvias arma interfecti conjugis: ire iterum in gemitus ac lachrymas, inclamare sponsum insolabiliter, & victoris ferociam increpare. Movet superbi Juvenis stomachum intemptiva comploratio, & præposterus in publico gaudio fletus: mox naturæ oblitus & sanguinis, eodem quo hostes, gladio sororem interficit.

Hic verò quid statuendum censēbimus, Quirites? Quam mercedem Victori, quod supplicium reo decernemus? Alterum facinus laudem & præmium postulat; Alterum contumeliam & vindictam exigit. Utinam fieri utrumque à nobis possit, & debitam fortitudini lauream tribuere, & suas crimini pœnas statuere liceat! Utinam Romæ liberum sit, hinc punire fontem: inde victorem compensare! At quoniam idem omninò civis & mulctandus à nobis & præmio donandus objicitur, vestrum est judicare, Quirites, plûsne valere apud nos ad condemnationem debeat sceleris gravitas, quàm facti gratia ad absolutionem.

Equidem, si spectetur ipsa tam inusitati facinoris atrocitas, dicta causa est; humana divinâque jura conspirant, ut is tollatur de medio, quem nulla Legum reverentia, nulla naturæ vis,

nulla

nulla sanguinis communio retinuit, quò minùs inauditum hæctenus parricidium perpetraret. Insuper auctoritas publica privatum in hominem, qui fundere Romanum sanguinem, quasi pro jure suo, præsumpsit. Denique postulare videtur à vobis communis bonorum omnium securitas, ne recludi eo facto ad cædem atque impunitatem viam patiamur.

Verùm si pœnas luit parricidii reus infelix Horatius; si nihil de solitâ Legum severitate remittendum putatis illius in gratiam, quâ se ratione accepti beneficii gratam ac memorem Roma exhibebit? quo victorem præmio afficiet? quâ vindicem salutis ac libertatis assertorem mercede remunerabit? Gemet Horatius plagas inter & verbera, dum Roma ipsius beneficio servitutis metu libera sibi plaudit ac triumphat; Mortem oppetet ille carnificis manu, dum illa partam ejusdem victoriâ salutem atque incolumitatem sibi gratulatur? Interim infelix pater, qui suis in hoc imperium meritis, & spectatâ in patriam charitate vix æmulandum unquam posteris exemplum dedit, superstitem unum de tot liberis extremo affici supplicio conspiciet, & uno sese die quocumque afflictæ domûs solatio destitutum conqueretur? Quamquam nihil dolet, aut desiderat, quos vestra salus sibi victimas depoposcit: hanc ipsam filiam fratris gladio sublatam non requirit, quæ de vestra gloria visâ est plus æquo doluisse. Hoc saltem non feret benevolentia illius suæ atque charitatis emolumentum, ut quem fata tot inter ac varios ancipitis fortunæ casus servârunt incolumem, eundem servandum non putetis. Hæc sunt, Quirites, quæ disceptari hæctenus in utramque partem magnâ animorum contentione au-

audiistis. Restat ut decretorium in hac causa
judicium statuamus.

Ego certè licèt admissum ab Horatio Junio
re facinus non approbem, intelligámque mea-
rum esse partium cavere diligenter, ne sceleris
ejusmodi impunitas temeritati atque audaciæ au-
toritatem importet; tamen aded multa concur-
runt in hoc judicio, quæ vel fontem videantur
absolvere, ut eidem pariter suffragari non dubi-
tem. Enimverò excusari non possit, per me li-
cet, ipsa tanti sceleris atrocitas; at excusatione
penitus non vacat peccantis animus, qui, vel
dum excessit ultionis legitimæ & jus & modum,
laudabili charitatis patriæ studio visus est exarsis-
se. Nam cur tam durus, tam crudelis, tam in-
humanus exiitisset in sororem, nisi Patriam fore-
re ipsâ chariorem habuisset. Jam verò quam ille
tandem sui erga nos beneficij mercedem ferat,
nisi periculo capitis eximatur? Nihil vindicata
populo Romano libertas liberatoris in gratiam
exorabit? Illum patiemur interire, per quem ser-
vitudinis periculum morte ipsâ gravius evasimus?
Verùm non unjus Horatij res hic agitur, Quirites,
agitur causa publica, ne tam singulari præsidio
civitas nostra destituatur. Perire tanta virtus
non potest, quin cum ea pariter maximum impe-
rij Romani decus & ornamentum depereat.
Fecit hodiernæ victoriæ gloria, ut vel una Hora-
tij fama plus ad terrorem Romani nominis, quàm
ingentes copiæ valitura sit. Caveamus igitur,
ne nobis invidemus ipsi bonum illud, quo frui-
mur; ne retinentes plus æquo præpostera severi-
tatis subtrahamus stimulos Romanæ Juventuti ad
audendum pro patriâ viriliter, si compensari
tam malè spectata in patriam merita conspiceret.
Sit illud potiùs bonis omnibus incitamentum, ut
dum

dum rei bene gestæ gratia, et reum absolvi viderint, illustriora virtutis suæ præmia possint expectare.

His ergo adductis rationibus, Quirites, absolvendum pœnâ capitis Horatium iudico; vos sententiam hanc meam vestris suffragiis confirmate.



FILII LUCII JUNII
BRUTI CONSULS

AB IPSO PATRE MORTE
DAMNATI.

C A U S A T E R T I A.

In genere Judiciali.

A R G U M E N T U M.

Cùm pulsus Româ Tarquinius, ejusque Liberi fuissent studio & operâ L. Junii Bruti, qui primus exactis Regibus Consulatum gessit: ejusdem Bruti uterque filius clandestina de revocandis

in

*in urbem Tarquiniiis consilia inierant.
Verùm reiectâ fraude vocati ambo Pa-
tris ipsius ad Tribunal, eodem iudice
capitis pœnâ multati sunt.*

ACTORES.

L. JUNIUS BRUTUS Consul.

SERVIUS Brutorum Accusator.

TULLUS Brutorum Defensor.

JUNIUS BRUTUS Filius Consulis
pro se & pro Fratre perorans.

SERVIUS Brutorum Accusator.

Quàm gravem hodie, quàm acerbam condi-
tionem experior, Iudices, qui vel impositi
mihi muneris partes negligere debeam, vel
Jvenes fortissimos, eosdemque longo usu mihi
conjunctissimos cogar accusare. Equidem diu
multumque dubitavi, quid agerem, interque vali-
dissimas utrinque necessitudinis atque officii ra-
tiones suspensus animus, quid statueret, satis non
videbat. Accedebant aliæ causæ non leves, quæ
merum acuerent augerentque sollicitudinem. Hinc
criminis ipsius atrocitas, patriæ studium, liberta-
tis amor ad repetendas à nocentibus pœnas sti-
mulabant, inde spectata multis in rebus utrius-
que Jvenis magnanimitas, parentis optimi re-
verentia, ipsum Bruti nomen tam carum huic urbi,
tam verendum, ad misericordiam inflectebant.
Tamen vicit demum Patriæ charitas; & commu-
nis utilitatis ratio privatæ benevolentiae vim supe-
ravit.

ravit. Memini me in hoc sapice dignitatis constitutum, unde securitati hujus urbis, & totius Populi Romani commodis invigilarem, non posse quidquam indulgere vel carissimis Juvenibus, qui Patriam, servitutem in novam trahere, & dulce libertatis munus auferre cogitassent.

Ignoscite igitur mihi, infortunati Juvenes, ego si durus accusator accedam, qui studiosissimus utriusque patronus esse voluissem; si conjurasse videar vestram in perniciem, qui pro salute vestrâ fortunas omnes, auctoritatem, vitam ipsam ultrò devovissem. Verùm heu! jubet Patria, fortunis omnibus, omni necessitudine, vitâ ipsâ carior id exequi muneris, quod fidei nostræ commisit, & vel invitum ac reluctantem cogit ad ea descendere, quæ, & ab indole prorsus aliena sunt, & propensissimæ meæ erga vos voluntati repugnant.

Quâ in re sustentat me me, ac reficit sapientissimi fortissimique Consulis exemplum, qui suo in Rempublicam studio, quam nuper in libertatem vindicavit, sobolis vel suæ facinus improbat, & parentis affectum lubens exuit, nihil ut præter severam Judicis personam sustineat. Infelicem te profectò, Brute, nam liceat mihi dolere tecum dolores tuos, infelicem te, qui filios tam tui dissimiles procreâris! Nam quis, vos, furor, Filii degeneres, in cives vestros, in Rempublicam, in parentem armavit? Ubi pudor? ubi pietas? ubi religio? ubi patriæ libertatis amor? ubi debitum parenti obsequium? ubi reliquæ virtutes tam illustribus Majorum vestrorum exemplis consignatæ tandem exulant? Ergo vos genuit pater, ut hostes patriæ infensissimos haberet? vitam vobis dedit, ut libertatis ocores turpissimos nancisceretur? Tanto utrumque studio, tam singulari diligen-

ligentia domi educavit, nihil ut ex liberali disciplina, præter dedecus sempiternum, reportaretis? Nihil erat aliud, quod traheretis ex parente, nihil quod ab eodem disceretis? Miserum certe, iterum atque iterum dico, & infortunatum patrem, qui tam alienos ab indole sua filios genuerit! miseros liberos, qui nihil paternæ virtutis potuerint æmulari!

Quo vos igitur nomine appellabimus, vel quo tandem colore recentissimum furoris vestri monumentum designabimus? Nam quid retexam funestissimæ conjurationis memoriam? Dicta dies erat cruentissimæ carnificinæ: convenerant perduelles gladiis facibusque, & omni armorum genere instructi: conflatus ex perditissimis ac flagitiosissimis hominibus exercitus, quorum alii ære alieno cum oppressi essent, solvendo impares, alii propter scelera Senatûs-consulto proscripti, Romam reverti non audebant. Eminebant inter cæteros signiferi proditiõnis ambo Consulii filii, furentes audaciâ, scelus anhelantes, & turpissimum de nostrâ libertate triumphum præcipientes. Instabat feralis illa hora, quæ urbis aditum Tarquiniis recluderet. Sed quid ego hæc revolvo, quæ vidit optimus quisque, & perhorruit?

O Dii immortales! tantæ indolis, morum, voluntatis, studiorumque inter eos diversitas atque discrepantia intercedat, quos ejusdem sanguinis communitio sociavit! Parens hoc studuit unum, dum vixit, ut de patriâ bene mereretur; primum hoc fuit liberorum facinus, ut patriam everterent. Ille oppressam iniquo servitutis jugo urbem non tulit; hi redditam pristinæ dignitati ferre non potuerunt. Brutus, ut hostem patriæ procul expelleret, nullam habendam propinqui-

D

tatis

tatis & sanguinis rationem esse duxit; Bruti proles gemina, jura naturæ sanctissima despicit, ut eundem pulsum revocet, & cum eo tristissimum in omnes exitium inducat. Tarquinius, monstrum illud bonorum in perniciem natum, prolem ejusdem parenti non absimilem civis optimi prudentia ac singularis sollicitudo longius à nobis exegit. Civium perduellium exitiale facinus, luem illam perniciosissimam, nisi malum Saperi avertissent, restituebat. Gratias enimverò, immortales Dii, vobis hujus urbis servatoribus, quorum sine præsidio nullam jam urbem, nullam patriam haberemus.

Videte ergo, Judices, quo vos esse animo in perduelles oporteat. Pensate, si quam merentur illi gratiam, per quos non stetit, quin cives, quotquot sunt, optimi immisericorditer mactarentur. Nam quæ spes restabat alia, si Tarquinius denuo rerum dominus factus fuisset? Si rursus cum impiis liberis in hac urbe regnasset? Quem posuissent illi furori suo modum? quid intactum aut integrum à cæde & sanguine reliquissent? Percant ergo illi, qui perire omnes bonos cives voluerunt. Quod ferant tam grave supplicium, quod inferius scelere suo videri non debeat? Neque vos retineat miseri parentis orbitas & luctus ex orbitate secuturus. Equidem fateor, Judices, aliud civis optimi, patrisque amatissimi probitas, animus, studium & amor libertatis præmium reposcerent. Non deberet ille luctum pro gaudio, pro mercede supplicium, pro triumpho geminæ sobolis, & cum eâ totius domus excidium pati. At Brutum novimus, Judices; scimus quo ille incensus in patriam, quo in unumquemque vestrûm studio sit, qui se affinem, qui propinquum esse oblivisci visus est, dum de
paran-

parandâ nobis libertate ageretur. Neque verò se patrem esse meminerit, dum illata vestræ libertati labes erit vindicanda. Naturam ipsam ultro jubebit obmutescere, ut unam Consulis vocem audiat, neque aliud expectabit vigilantæ, sollicitudinis & impensæ salutis præmium, quàm ut bene mereri de vobis ac de patriâ liceat.

Quare nihil ego te monendum putem, ô Brute, ut viriles in hac causâ animos induas; non is es, qui alienis indigeas consiliis. Felicem te, si vel parens non fuisses, vel si utrumque præmatura mors jam dudum eripuisset! Quantam tibi lachrymarum segetem, quàm feralem ambobus cladem sublatam gauderemus! Sed quid ego hic doleam, quod ipse non doles? Palàm exhibe qualis sis, ô Brute; exere Consulis auctoritatem, ut nocentes plectas vel filios. Nullum apud te misericordiæ locum inveniant, qui se omni misericordiâ profus indignos præstiterunt. Priùs ipsi debitam parenti pietatem ac reverentiam exuerunt; neque tu paternum amorem exuere dubites. Talem te experiantur illi, qualem te esse voluerunt. Cæterùm nihil te pœniteat tam indignâ carere sobole; tot tibi substitutos in eorum locum puta liberos, quot cives à servitute vindicâti. Nihil illi tenabunt, quod cogatur Brutus improbare; & quæ filiis in perduellibus meritò desiderâsti, in illis devotum obsequium, reverentiam singularem, & tenerimum amorem, dum vives, experieris.

TULLUS,

Filiorum Bruti Defensor.

Si quis aut errore lapsos aut inconsultâ ab-

D 2

reptos

reptos levitate Juvenes infortunatos tuum ad Tribunal accusavisset; tulissem æquo animo, Consul vigilantissime, & Accusatoris ipsius studium colaudâssem, qui filios amicè commonendos & paternâ charitate emendandos parenti optimo detulisset. Neque enim is ego sum, qui vel inficiari velim, quod nec miseri Juvenes ipsi diffitentur, vel eos alicujus imprudentiæ reos non putem, qui pulsos auctoritate publicâ Tarquinos revocare in urbem voluerint. Verùm cum vidi perduellionis crimen inferri optimis Adolescentibus, quorum spectatissimus in patriam amor est; cum sensi eosdem argui violatæ paternæ charitatis, qui Patrem suis ipsorum oculis, ipsâ etiam vitâ cariorem habent, non potui mihi temperare, quin conflatam utriusque in caput tantam invidiæ labem amolirer, & quos probata temper agendi ratio aut absolvit, aut saltem excusat, eos apud æquissimum Consulem, eundem ac patrem amantissimum defenderem. Ergo patiatur Accusator, vir temerè perspicax & religiosus præter modum damnari à me præposteram suam sagacitatem, quæ crimen viderit, ubi non est, & severitatem nimiam inrepari, quæ vel nullâ, vel levissimâ dignos pœnâ ad gravissimum quodque supplicii genus postulârit.

Tu verò, Consul æquissime, vide, etiam atque etiam precor, ne, dum patriæ plus nimis cupidus ac studiosus videris, non satis in filios tuos pius habeâre. Hanc mihi veniam annue, ut tibi ponam ante oculos, quod per insolentis facti dolorem expendere fortasse non licuit, Filios tuos, neque tam culpandos esse, quàm putas, neque etiam, si graviore culpâ se se implicuerint, ideo esse damnandos.

Ac

Ac primùm quidem, quis capitalis reos criminis, nisi hominum sit immitissimus, eos exilimet, qui, si peccasse dicendi sunt, non ex consulto, neque ex merâ improbitate, sed uno abrepti ætatis impetu peccaverunt. Non te fugit, Junii Brute, quàm cerea sit, & in omnem partem verti facilis adolescentia; quàm multa vel hoc solo nomine ipsi ignoscenda sint. Matura ætas, cum ab officii partibus discedit, digna sanè est, in quam acerbius invehatur, quæ nec consilii inopiam, nec impotentis animi impetum prætere meritò possit. Ast teneram ætatem labi, quam firmum judicium, quam rerum usus rectè vivendi magister nondum erudierit, quis, amabo, miretur tantum? Quid aliud præter infelicem casum ab eo expectes, qui, cum in lubrico loco positus sit, non habet, quo nitatur ac se sustentet? Atque ut omnibus certum sit, eos, quorum hinc causam ago, nullâ indolis perversitate depravatos, sed teneræ potiùs ætatis inscitiam ac levitate adductos à rectâ viâ declinasse, age, quod est illorum crimen?

Nihil ego dissimulare velim, Judex integerime: sit verum illud quod Accusator objectavit acriter; pulsos parentis consilio Tarquinius revocare voluerint, contraria paternæ voluntati studia secuti fuerint; cur aliam facinoris illius causam, præter inscitiam & insitam juventuti levitatem, fuisse suspiceris? Nempe si perpendissent filii tui, quo apud nos loco parentum voluntas esse debeat, quantum ab eorum imperiis deflectere scelus reputetur, tantum in se crimen admisissent, qui de revocandis in urbem Tarquiniis solâ compulsi pietate cogitarunt? Hoc ipsum tanto cum studio tentassent exequi, si sacratissima paternæ pietatis jura hac ratione violari à se perpendissent!

D 3

At enim

At enim melius in affines, quàm in patriam vel in parentem ipsum affecti visi sunt. Tuam hic fidem, Junii Brute, te ipsum constantis liberorum in te amoris testem appello. Est aliquid in quo devotissimam filiorum erga te pietatem aliquando requisieris? Sed quid ego te, Brute, tantum interrogo? Loquatur ipsa civitas, loquantur spectatores, quotquot hic adsunt, & Juvenum tam in parentem, quàm in patriam pietati suffragentur. Quid de utroque Bruti filio videtur vobis, Quirites? Vestrum enim est hac in causâ ferre testimonium, qui talem Bruto prolem toties invidistis; qui tales huic imperio tamque cupidos rerum nostrarum defensores precati estis? an illi aut perduellionis rei, aut paternæ charitatis oblitii vobis videantur? Ex quo igitur juvenilis ardor, qui nonnunquam etiam invitos rapit, tanti criminis loco computatur? ex quo damnant leges tanquam capitale quidpiam, si quis hominibus sibi cognationis vinculo conjunctis per imprudentiam adfuerit? ex quo denique, quod ætatis levitas, non malitia voluntatis admisit, tam grande piaculum censetur, ut solâ morte possit expiari?

Quanquam sit atrocius crimen illud, quod commisere, quàm revera est, digni sint illâ morte, quam irrogandam Accusator censuit. Felices illi saltem, Junii Brute, quòd te Consule, te parente damnari non possint! Quid enim crudelius foret, quàm assertorem publicæ libertatis in Liberis cædi? quid iniquius, quàm Republicæ columen proles excidio subverti? quid indignius, quàm pium ac communem patriæ parentem in nefariâ sobolis strage crudeliter mactari? sic est, Judices, vel si naturam audire Brutus rennat, tamen pater est. Quantumvis patriæ soli vivere
se

se profiteatur, vivit tamen in Liberis, & in meliore sui parte vivit; neque petere Liberos quis potest, quin & parentem ipsum petat.

Næ tu ergo durus nimis Accusator es, qui non tam filiorum, quam parentis ipsius sanguinem hac tuâ oratione tam severâ, tam rigidâ postules. Adeone omnem humanitatem exuisse te, ut, dum geminam Bruti sobolem cruentam ad necem repetis, parentem libertatis tuæ generosum assertorem salutisque defensorem acerrimum in vitæ discrimen adducas? Dirum scelus, Superi, si est apud vos pietas, avertite!

At vos, Judices æquissimi, quorum aspectu suavissimo sentio me recreari non mediocriter, & melioris fati spem suscitari, feretis æquo animo spes Junii Bruti omnes, unâ cum Liberis ejusdem cadere? tam durum siccis oculis spectaculum sustinebitis? Hoc Bruto præmium vindicatâ pro libertate referetis? Hanc illi tot laborum, quos pertulit, tot periculorum, quibus se ultrò propriâ objecit, mercedem dabitis? Et dum liberos vestros vobis ejus auxilio atque ope servatos gratulamini, dolebit ille solus avulsam sibi prolem, vobis probantibus atque arbitris, inhumaniter periisse?

Sed mori utrumque patriæ leges jubent, reclamant crudelis Accusator. Quasi verò tam sæva tamque immitis sit aut fuerit unquam Patria, ut suorum sanguinem sitiât; aut apud eam gentem versetur, quæ placari miseris nesciat ac mitescere? Eos Patria cadere velit scilicet, in quibus parentis nomen ac gloriam reveretur? quos præsentissimo sibi olim subsidio fore confidit? qui, ut paternæ laudis, sic & virtutis in spem adolescunt? Hæc te, Junii Brute, expectatio tam læta recreet, & asperatum in reos

Consulis animum temperet ac leniat. Da geminæ soboli locum, ut, si quam hodierno facinore inuissent paterno nomini labem ac maculam, hanc suo in Rempublicam studio & rebus præclare gestis totam abstergant. Noli invidere patriæ dulcissimum in ipsis decus certissimumque præsidium, &, quod amori paterno non indulgeres, hoc conspirantibus omnium studiis condonare non pigeat.

Adeste, infortunati Liberi, succedite propius, & lugubris ille apparatus, qui jam movit unumquemque nostrum, etiam parentem ad misericordiam inflectat. Intuere sobolem, Brute, respice lachrymas sinceri doloris indices, & vultus illos, quos luctus obsider ac deformat, diligentius contemplare. Misereat te teneræ, incautæ, & nondum satis expertæ juventutis: reputa tecum, quam sis excitaturus apud omnes gentes crudelitatis opinionem, nisi te exorari, nisi te placari permiseris. Te igitur, per charitatem patriæ, per dulce parentis nomen, per tuam ipsius gloriam, per quidquid jucundum tibi & acceptum esse potest, oramus atque obtestamur, ne, dum propter eximias virtutes apud posteros celebraberis, durior in Liberos ac crudelior audias. Quid proderit prudentiam tuam laudari, celebrari fortitudinem, extolli summum in patriam amorem, si clementia una atque humanitas desiderari videatur.

Moveat ergo te paterna pietas; moveat tristissima filiorum tuorum conditio. Satis hucusque dedisti patriæ, satis dedisti officio Consulari: memento tantisper, quid naturæ, quid sanguini debeas, neque te patrem esse pigeat ac prædicari.

LUCIUS

LUCIUS JUNIUS BRUTUS

Consul ac Pater.

Sedeo miserrimus Pater Judex duos inter filios nefariæ conjurationis artifices; aut crudelitatis labem, reos damnando, aut socordiae notam, nocentes absolvendo jam jam subiturus! Proh! quàm variæ, Patres Conscripti, distrahunt ancipitem curæ! Ut huc, illuc fluctuat incerta mens, dum hinc naturæ, illinc Patriæ vox tacitum pungit ac stimulat. Etsi enim, Patres Conscripti, immanis flagitij, quod à filijs patratum est, horror attonitum percellit animum, atque, ut par est, exasperat; nondum tamen sic obdurui naturæ & sanguini, ut esse me patrem vel perduellium filiorum non sentiam. Quamquam inultam relinques Patriam, ô Brute, cujus defensor acerrimus modò visus es? Justissimas afflictæ urbis querelas aspernabere, quæ suum in Romano Consule præsidium ac fiduciam habet? Nihil te violatæ libertatis amica vox commovebit, quam erexisti jacentem, perditam recreâsti? Imò, imò movent hæc omnia mirum in modum, Patres Conscripti, neque me paternus amor ita perturbat, ut non videam satis, quid urbi, quid patriæ, quid officio, quid libertati debeam.

Adeste, Filii; state patris ad tribunal. Quamquam parcite, si filios dico, Patres Conscripti, si filios agnosco vel nocentes. Vultus, frons, oculi, corporis habitus, nomen utrique inditum, hæc filios omnia, hæc parentem probant. Utinam & patris animus, fides, constantia, patriæ charitas & facta pariter adestent! quæ quoniam video in vobis desiderari, quid ego vos deinceps filios appellem?

D 5

Hoc

Hoc studuit pater præter cætera, ut impostum per tot annos liberis cervicibus jugum deiceret; vos turpissimæ servitutis amatores idem illud, quantum fuit in vobis, reposuistis. Ego non jacentem modò, sed intermortuam libertatem curis meis ac laboribus, ipso capitis periculo suscitabam; vos reviviscentem faustis ominibus, & aura liberiore jam gaudentem appetiistis. Ego perditissimos Adolescentulos, funestissimam Juventutis nostræ corruptelam, libidinis, impuditiæ, furoris impij faces expuleram, ejeceram, exterminaveram; vos tutari eosdem consilio, adjuvare opibus, conflata patriæ in perniciem conjuratione postliminio revocare non erubuiistis. Ego unà cum Regis nomine dominantem jam diu in hac civitate tyrannidem videbar æternùm proscriptisse; vos publicæ tranquillitatis ofores, Tarquinio servire turpiter, quàm partâ frui libertate maluistis. O dignos Bruto parente filios! ô studiosos paternarum virtutum æmulatores! Tales ego filios non abnuam, non ejurem, non abominer; qui sceleratorum civium studia amoris patrio, proscriptorum comoda meis periculis, exulum incolumitatem paterno capiti præposuerunt? Nam quò tandem cessisset Pater, degeneres, si redditus huic urbi Tarquinius per vos fuisset? Quæ spes desolatis rebus & afflictæ saluti superesset, si felicem vestra consilia exitum habuissent? Viveret hodie infelix Brutus, si regnare rursum, quod ambo tantopere promovistis, Tarquinio licuisset.

Ite, ite; alium quærite, si potestis, qui vos habere filiorum loco velit, qui compellari se à vobis parentis nomine patiat. Providete vobis aliquem, qui tutari rebelles, patrocinari perduellibus, fovere caput in suum conjuratos sustineat.

stineat. Scrutamini in hac Urbe, quam perdere, quam evertere penitus, quam delere ex hominum memoria cogitastis, scrutamini, inquam, vestigate, conquirite, qui adesse vobis in hoc discrimine, qui ferre opem laborantibus, qui imminentem vestris capitibus procellam avertere paratus sit. Quod ad me attinet, nequissimi proditores, nihil expectate deinceps quidquam, præter austeram Consulis severitatem, feralem paræmque meritis rigidissimi Judicis sententiam, & cruentam, si fuerit opus, tortoris barbari inmanitatem.

Nam quid præstem aliud, Patres conscripti; quam gerere me Personam, vel quos induere sensus jam decet; qui vestro beneficio tuendæ, moderandæ, conservandæque huic Urbi præpositus, amoliri longius quod est noxium, propulsare viriliter quod est perniciosum, quod corruptum est rescindere penitus, pro ratione mei muneris, cogor ac teneor? An si naturæ vox parentis animum etiam inflecteret, si sordidato ac luctuoso illo Liberorum conspectu adhuc commoverer, si plus apud me posset patris affectus, quàm dignitas Consulis, si viderer mollescere, dum severi judicis partes exigitis, an, inquam ferre vos posse id putem? an non insurgat statim in me Patria, & oblitum debitæ in ipsam charitatis accuset? Imò vocem illius audio, Patres Conscripti; me, me inflicti recens vulneris admonet, & adhortatur tacita, ut mederi malo, quamprimùm velim. Audite vosmetipsi quid loquatur, quid exoptulet, quid precetur.

Tu me refeceras, inquit, languentem, Brute, tu jacentem erexeras, recreaveras afflictam, captivam liberaveras, & amissam jam diu libertatem redonarâs. Verùm orta est, tuo de sanguine
ge-

gemina pestis nostram in perniciem conjurata, quæ pristinis affligere me malis meditatur. Vix dum apud me sum, adeo repentinus novæ servitutis timor miseram perterrituit! Mihine securam esse liceat, dum medio in sinu fovebo perduelles, dum spirabunt monstra illa, dum inultum scelus dominabitur? Age ergo tu, qui strenuus libertatis meæ assertor extitisti, pœnas repete, ulciscere Patriam, cujus tutor ac custos constitutus es. Ede severitatis exemplum, unde habeant boni cives, quod sequantur; mali, perditique quod pertimescant. Discant ex te posterius, quo Patriam loco habere Consules debeant, noverint scelerati liberi, quid vel ab ipsis parentibus sibi sit expectandum, si quando ab officio recesserint. Nihil te parricidas ac perduelles plectere pigeat, quorum exitio ac ruinâ servabis Patriam, tuamque tam illustri fortitudinis exemplo fidem posteritati consecrabis.

Hi sunt, Patres Conscripti, quibus me Patria stimulis pungit, atque excitat; cujus ego imperijs nisi me obsequentem exhibeam, neque iudicio vestro dignus, neque dignus munere, quo defungor, videri possum.

Vobis verò, Liberi, ratio superest uua eluendæ culpæ, quam admisistis, si paratas vobis pœnas ultrò perferatis. Colligite animos ad subeundam mortem fortiter: ostendite pristinam ad durissima quæque fiduciam & alacritatem: despiciate, si potestis, si quid roboris superest, quæ meruistis supplicia, & dignam patriæ everforibus, parricidis, & perduellibus mortis sententiam constanter approbate.

I, Licitor; colliga manus; utriusque caput obnube; religa ad palum; virgas expedi; distringe fasces, &, impactâ viriliter in cervices hastâ,
in.

invisa Patriæ, bonisque omnibus capita ab humeris revelle.

JUNIUS BRUTUS

Pro se & Fratres morituris.

Ubi sum? & quas hodie videor translatus in terras? Consulem alloquor, an Tyrannum, Parentem, an carnificem; Hominem, an belluam? Nam quid dissimulem, Patres Conscripti, & acerbissimam, quæ me angit, ægritudinem verear morti proximus aperire? Consulem dicere te amas, Brute, & tyrannum agis? Parentis jucundum nomen affectas, & carnificis Personam exhibes? Vis hominum haberi moderatissimus, &, quod belluæ execrarentur scelus, ipsis belluis crudelior ac ferocior audere non dubitas? Scilicet vobis Consul videbitur, Patres Conscripti, qui patriæ non consulit, sed eandem evertit? qui leges à Romulo & à Numa sapienter institutas non tuetur, sed abrogat? qui Regem suum ac consanguineum non defendit ac protegit, sed dejectum solio turpiter, privatum regno per summum nefas, patriam etiam nihil tale meritum ejicit? qui promissam populo Romano libertatem non modò non impertit, sed unius legitimi Regis in locum duos Tyrannos crudelissimos substituit?

Durum est quidem, Patres Conscripti, sic invehi in parentem, & quem natura ipsa verendum & amandum præscribit, eundem maledictis laceffere. At numquid suavissimis illis legibus nos eximit ac liberat immitis pater, dum filios abnegat, rejicit, execratur? dum paternæ charitatis oblitus tyrannum se nobis ac carnificem

ex-

exhibet atque ultrò profitetur? Quamquam ferremus æquiùs, Patres Conscripti; nihil nos feralis, quam in immeritos tulit, sententiæ tantum pigeret, nisi nos tanquam proditores patriæ, paricidas ac perduelles juberet occidi: non pœnas quantumvis graves, non cruentam mortem, sed pœnarum ac mortis causam perhorrescimus. Nam quid egimus, amabo vos? quod tandem scelus nostrum est? quid admissum à nobis tam grave, quod nisi proditorum ac perduellium supplicio expiari non possit? An accensas in Urbem faces intulimus? an civium quemquam designavimus ad cædem? an prodere patriam hostibus? an clandestina cum ijs inire consilia, aut quidquam amicæ libertatis in jura tentavimus? Vos qui cordis humani latebras & arcanos sinus inspicitis, Dii immortales, nôstis, si quid sit ejusmodi, quod miseris adolescentibus exprobrari jure merito possit?

Vos ipsi nobis adeste testes, Patres Conscripti, quàm immunem à flagitio vitam egerimus; quàm expertes sceleris vel in hac causâ haberi debeamus. Nisi fortè crimen illud est, quòd amicum, quòd affinem, quòd Regem nostrum vestris ipsorum suffragijs in solio constitutum, & per iniquam parentis æmulationem privatum regno ac patriâ consolari parumper, & spe melioris fortunæ miserum suscitare voluerimus? Hoc illud piaculum est, Patres Conscripti, propter quod mitis & humanus Consul cives immeritos, cupidissimus geminæ sobolis parens innocentes filios maclat ac perdit. Hac provocatus injuriâ Judex integerrimus, jura naturæ omnia perfringere non dubitat. Hac specie sceleris, hoc colore prætento, pulchrum est Majestatem consulis acerbissimâ tyranni violentiâ, amorem pa-

paternum carnificis crudelitate, hominis humanitatem ferarum sævitiâ dedecorare.

Scilicet non dubitavit ille, si proprios in filios sæviisset, quin cætera, quæcumque nuper designavit suæ ferocitatis monumenta, vobis probarentur: nec proprio sanguinis sui dispendio voluit, quod erat à se factum per insatiabilem dominaadi libidinem, id boni publici studio, & amore libertatis excusare. Sic impunè sibi fore credidit, quod Regum in Majestatem attentasset, quod legitimum Principem folio disturbasset, quod eodem pulso turpiter, & ejecto nostris de mœnibus, eandem ipse potentiam, solo nomine immutato, usurpasset. Sic debitas sævitiæ suæ pœnas declinandas esse speravit, qui nobilissimos Juvenes, affines suos, civitatis hujus præsidium, totius imperij spem florentissimam per summum nefas expulerat: qui Collatinum Collegam suum de se optimè meritum dignitate spoliaverat; qui bonos cives rerum nostrarum studiosos fortunis, civitate exuerat. Sic laudem à vobis, Patres Conscripti, non dedecus, mercedem, non supplicium expectat, dum vestrapalàm in bona, in fortunas, in auctoritatem, in libertatem, in vitam jam jam involabit! Debui-
mus priùs ambo cadere furori ipsius victimæ, quàm patratorem scelerum fructu tranquillus frueretur, & cætera, quæcumque meditatur, flagitia cum spe impunitatis certâ pertentaret.

Cùm ergò deinceps vivendum sit non cum Consule, sed cum tyranno, non cum parente, sed cum carnifice, non cum homine, sed cum belluâ, nihil est, quod juvare vita nos possit. Moriamur ultrò, Frater; neque, post extinctam civitatis hujus gloriam vivere ultrà appetamus.

Ser-

Serviant ingenui, qui voluerint sub tyranno: vivant cives sub carnifice; spirent homines sub belluâ; nos, Frater, nihil patiamur ejusmodi. Subeunda quidem mors nobis est; sed gloriosius est mori, quàm servire: perire semel optatius est, quàm in perpetuo metu vitam infelicem trahere. Nihil mori pigeat, quibus moriendi causa tam honorifica, tam egregium facinus vivendi finem attulit!

Pulum per summum nefas Principem legitimum revocare, spoliatum bonis, folio, patriâ restituere in pristinam dignitatem, Majestatis regiae jus tueri pro virili parte tentavimus. Pulchrum est tam glorioso operi succumbere, & in medijs propulsandæ tyrannidis conatibus vitam dare. Exorietur tandem aliquis virtutis ejusdem æmulator, qui patrati in nos sceleris pœnas repetat, qui manes nostros, Superis volentibus, ulciscatur: qui tyrannum ferocissimum de solio dejiciat, qui carnificem crudelissimum bene moratâ de civitate expellat; qui belluam immanissimam inter homines vivere non patiatur; qui Regum expulsorem, perturbatorem libertatis, tortorem ac parricidam meritis, ut par est, pœnis vicissim afficiat! Agedum, licetor; quid hæc res lentus? hac spe fretos, tam latâ expectatione sustentatos feri utrumque, & nihil ultrâ vitæ cupidos obtrunca.



POLY.



POLYCRATES

SEU

AMORIS PATERNI IN
LIBERIS TRIUMPHUS.

CAUSA QUARTA.

In Genere Deliberativo.

ARGUMENTUM.

Parente Thebanos inter & Athenienses bello, Polycrates Atheniensis de lapsus inter hostes, quatuor Filios, quos discriminis socios habebat, ad dimicandum fortiter adhortatus est, cumque inter ceteros ex asse instituit heredem, qui pro patre defendendo plura perpessus fuisset. Illi patrem incolumem praestiterunt quidem, sed vivi ab hostibus capti sunt. Thebani, qui dolebant unum e suis aliquem fuisse a Polycrate brachiis, auribus, lingua, oculis mutila,

tilatum, Polycratis Liberos pari contumeliâ sic affecerunt, ut natu Maximo insigni Statuario & strenuo militi amputarent brachia: Alterum egregium Oratorem linguâ privarent; Tertio clarissimo Pictori effoderent oculos: Minimum optima spei Adolescentem recisis auribus exsurdarent. Polycrates tam tristi spectaculo perculsus ex dolore interiit. Litigatur apud Archontas, cui potissimum hereditas tribuatur.

ACTORES, Patroni quatuor.

- I. Pro DEMARATO Statuario Manco.
 - II. Pro LOGODÆDALO Oratore Ellingii.
 - III. Pro ZEUXIDE Pictore Excæcato.
 - IV. Pro ELPIDIO Adolescente Exsurdato.
- J U D E X.

ORATIO

Pro Demarato Statuario Manco.

SI ratio meritorum una, pietatisque in patrem consideratio, Judices, in hac causâ haberetur ut nemini dubium esset, huic potissimum Liberis acceptam referri parentis vitam, qui ma-
num

num oppositu lethalem ab ipsius cervicibus ictum avertit; sic nec controversum ulli videretur, paternam hæreditatem eidem esse vestris suffragiis addicendam. Sed quoniam de acceptis patris causâ damnis tantum hîc agi Adversarii inclamant, hoc denique Demarato Clienti superest meo, ut, cui sua in Polycratem merita adscribendam gratiæ nomine hæreditatem postulabant, hanc ipsi ob accepta pro patris salute detrimenta omnium maxima, quodam compensationis jure, adjudicetis.

Aio enim, Judices, Demaratum sic omnibus esse & Patrisfamilias & privati publicique viri, manuum jacturâ, privatum bonis, ut numerosæ sobolis parens, ejusdem educandæ facultatem amiserit; ut insignis Statuarius famâ, quam sibi comparaverat, penitus exciderit; ut optimus Civis intercisam defendendæ deinceps patriæ spem omnem conqueratur, quæ tria dum delibo tantum, favete linguis, Judices, & dicentem sustinete.

Atque hîc quidem, ubi de amissis fortunis agitur, recreat me non mediocriter, quod eos sim nactus Judices, qui, cum Patresfamilias iidem sint, experienciâ edocti suâ intelligunt, quàm non ad utilitatem modò & amplitudinem, sed ad necessitatem Paterfamilias opes desideret, ut ne in luctu & indigentia tenebrisque liberi contabescant. Quàm igitur deploranda, infelix Demarate, fors hæc tua! qui præcisione manuum non excideris modò certâ spe rei familiaris augendæ plurimum, sed ad inopiam jam extremam reductus sis! Fuit heu! cum te vix quisquam totâ Græciâ Statuarius exæquaret arte, nemo certè superaret, simulacra tua in pretio erant apud omnes, famam ubique habebant & nomen. Inde te ac

tuos tacitè scilicet alebas, ridebant domi omnia; crescebant Liberi in spem æmulandæ olim paternæ artis hæreditatisque copiosæ; adolescebant in Reipublicæ præsidium, ad generis sui lumen columénque firmabantur. Nunc quanta subito facta est hoc casu domestici fati conversio! Cùm enim unicus Demarati fundus, census familiæ, liberorum patrimonium esset in parentis industriâ, quæ domus unis parentis manibus steterat, his sublatiis funditus concidit; quæ his domesticæ quasi fortunæ artificibus vigeat, tota est iisdem præcis extincta.

Quamquam ferenda utcumque visa est hæc inus sapienti cuivis divitiarum iactura; famæ autem nulla unquam fuit quamlibet levis amissio toleranda. Hujus spe unius innumeris laboribus læti defungimur, hac nos ipsi expectatione sustentamus; hoc famæ demum nunquam intermorituræ præmio vitæ brevitatem consolamur: quâ mercede qui exciderit, non video, quomodo & non sit, & non habeatur miserrimus. Excidisti autem, Demarate, hocque tantò acerbius excidisti, quòd tot præcones, tot testes, totque obsides famæ natus esses immortalis, quot laudis ipse auctor tuæ statuas esses totâ vitâ moliturus. Scitis, Iudices, audivistis, & vidistis ipsi, quantâ claritate increbuisse jam ipsius famâ, quantâ artis solertiâ celebraretur: nulla adeò regia, nulla palatia, nulla opera publica, imò nec Deorum templa sine eius simulacris videbantur! Ab his ornamenta civitates repetebant: novam quandam Heroum manes vitam resumebant; ab his præsentia sibi Numina poscebant aræ, orbis terrarum, quantus est, miracula depromebat. Sic victura tamdiu fuisset illius fama, dum gloria hujus urbis, dum Heroum memoria, dum Religio Deorum vigeat transmissa
ad

ad posteros sempiterna. Hac nimirum spē dulcissimā immortalitati Demaratus laborabat; hac fovebat avidum laudis animum, fovendōque inter laborandum recreabat. Sed heu! spes hęc omnis intercudit, & quę beneficio manuum cum omni posteritate coęquanda erat fama, manuum amissione jam sepulta evanuit.

Sed quid hęc moror? Utinam saltem relicta foret optimo fortissimōque civi utilem aliquam egentī ac laboranti patrię facultas navandī in bello operam; ut qui suis est sibi que mortuus, glorię certē viveret! Sed adempta gloriā prorsus omnis est, & hic infelici Demarato restat dolor acerbissimus, quōd patrię pariter ac sibi interierit. Sensistis, Iudices, quā peritus in arte Statuariā Demaratus fuerit; at non minū in militari probavit se strenuum, nec in officinā feliciter moderata manus ejus scalprum est, quā in acie fortiter ferrum vibravit. Experti sunt Thebani malo suo, noverunt salute suā Athenienses, quā bonum in Demarato militem haberemus. Testes exuvię de Thebanis raptę, quas, totidem illustria virtutis suę monumenta, domi suspensas asservat: testes laureę, quibus a vobis in pręmium fortitudinis decoratus est; testes cives bene multi, qui vel a servitute, vel a morte Demarati fortitudine vindicati sunt. Sed ecce jam bellum acrius recruduit: tuum, si unquam aliās, robur depromendum, Demarate: progredere ad bellum, tuā nunc operā Patria indiget; instat hostis; stant in procinctu milites; te tuba invitāt, insonant classica, te Duces, te commilitones repetunt. I, curre, vola, ades labanti periclitantique Reipublicę. Hęc, Iudices, rueret, volaret; rapit hunc animus, excitat patrię desiderium, glorię sitis, laudis amor inflammat. At quid iret? Ubi manus? pre-

E 3

tiosę

tiosæ illæ victricésque manus, instrumenta fortitudinis, terror hostium, Reipublicæ columen, civium salus! quid iret, nisi ut in hostes delapsus augeter prædam ac triumphum? quid in aciem volaret, nisi ad certam necem? Nisi quis putet fore illum subsidio suis, quî sibi ipse præsidio esse non possit? Sede ergo domi, Demarate, miser, obscurus, iners, fortunis, famâ, rebus universis destitutus. Jace in tenebris, in sordibus, in luctu, familiæ, tibi patriæque inutilis consenesce: hocque ad doloris cumulum sit tui, quod ne paternas quidem injurias tibi tuis graviores ulcisci liceat.

Quid restat igitur, Judices, nisi ut per acerbos liberorum ipsius, per afflictæ conjugis luctus, per urbem hanc, quam simulacris decoravit, fortitudine servavit, trophæis illustravit, orem vos obtestérque; ut tantam, tam gravem, tam luctuosam fortunarum, famæ ac gloriæ jacturam, quam abscissis manibus Demaratus tulit, quoquomodo compensetis; sublevetis Patrisfamilias egestatem, excellentissimi opificis extinguendum posthac nomen recreetis, obscuram civis optimi generosissimique gloriam vestra auctoritate illustretis, damna hæc ejus omnia paterna hæreditate refarciatis.

ORATIO

Pro Logodædalo Elingui.

Si unanimi omnium consensu supremum ærumnarum cumulum videtur attigisse, qui suas proferre miseras, & acceptas deplorare calamitates non valeat; quis satis possit, Judices, infelicissimam Logodædali lugere conditionem, qui resectâ, per summum nefas, linguâ, nullam amplius habeat

habeat conquerendi de sua sorte facultatem. Sinite igitur, Iudices, ut vicarias agam hodie Logodædali partes, & ipsius, sin minus querelas, saltem, inelices lachrymas vobis offeram; finite, ut, quam ratio, æquitas, jusque postulant, opem defensionemque impertiam.

Scilicet defensore careret ille, apud quem miseri omnes certum accisis in rebus præsidium semper invenerunt? Patrono destitutus adversariorum numero & potentiæ cedere cogeretur, qui eo consilio concessam sibi à Superis eloquentiam putavit, ut miserorum inopiæ subveniret; ut oppressam indefensamque contra nefarios perditorum hominum impetus innocentiam protegeret, tueretur, defenderet? debitam tot virtutibus, & suâ inprimis in carissimum parentem pietate hæreditatem miser Logodædalus amitteret, quod elinguis factus propter patrem, pro se ipso dicere non possit? Quanquam, quid elinguem te appello, Logodædale, qui disertissimè, si unquam aliàs, loqueris? Loquitur enimverò Logodædalus, Iudices, & vel avulsâ palato linguâ paternam sibi hæreditatem, tanquam fratrum omnium miserimo vindicat.

Nolite tamen arbitrari, Iudices, huc me alienæ virtutis detractorem accessisse; nihil de tuis laudibus, Demarate, deteram, non elevabo generosum animi tui facinus, tuam gloriam non conabor verbis attenuare. Tales artes deceant Oratores illos, qui causæ bonitate destituti, ambitiosis verborum phaleris facere fucum auditoribus ambiunt. Pulchrum est, nec piget fateri, manuum oppositu parentem à morte vindicare; pulchrius eundem à dirâ membrorum depopulatione, quæ vel ipsâ morte durior est, defendere. Pulchrum est manuum dispendio patri vitam con-

servare; pulchrius eundem à supplicijs nece crudelioribus præstare incolumem.

Neque hoc ipso abuti velim ad Logodædali patrociniū, Judices, quòd reserctâ linguâ omnem ad famam & opes comparandas viam infelix Orator amiserit. Silebo, quòd ista calamitas inceptum tam feliciter ad immortalitatem cursum interruperit. Nam statim reclamarent adversarij, hoc habere Logodædalum cum fratribus commune, ut famæ & acquirendarum opum sibi facultas erepta sit; nisi fortè tantò infelicior Logodædali conditio videri debeat, quantò compendiosior ad colligendas opes, uberior ad parandam gloriam cæteris artibus Eloquentia sit. Quid enim in Foro vitam asserit innocentibus? quid in Senatu, quid in Curiâ regit auctoritate, temperat legibus, moderatur consilio Rempublicam, nisi regina Artium Eloquentia? Quid Togæ, quid Militiæ splendorem conciliat, nisi regina Artium Eloquentia? Domi illa cives in otio & pace continet, foris milites ad pugnam incendit, bonos recreat, affligit malos, ubique regnat. Quanta autem & quàm satis copiosa merces rependi potest ab infonte reo salutis vindici! quantum famæ & gloriæ debetur ac persolvitur publicæ auctori Pacis, Justitiæ præfidi, consiliorum arbitro, bellorum duci, moderatori omnium ac sospitali. Hæc omnia scilicet Logodædalus amisit, ut parentem servaret; hæc maluit perdere, quàm parentem. Bona, fortunas, famam, suam denique conservationem paternæ saluti ultrò immolavit.

Sed quid plura disputo? Id doleo, Judices, quòd avulsâ linguâ Logodædalus ab hominum societate ad miserrimam belluarum sortem amandatus est, quòd inter homines, ex quo desit loqui, sibi planè interit! Nam quâ potissimam re
à bru-

à brutis animantibus differimus? Nisi quòd illæ, dum ingenita naturæ stupore oppressæ silent inter se, & obmutescunt; nos latentes animi sensus aperire, & nostram de re quâlibet proferre sententiam, variis de rebus inter nos confabulari, nostros dolores, suavissimo cum amicis colloquio, possumus consolari? Lingua enim interpret mentis est, cogitationum internuncia, animi præco, consiliorum sequestra, conciliatrix amicitiae, nutritrix & administra commercij, humanæ denique societatis moderatrix & arbitra.

At enim quàm luctuosum est Logodædalo, quòd perijt sibi, tam dolendum damnosumque vobis, quòd Reipublicæ paruit. Scitis, Iudices, quid pro communi bono valeat disertâ lingua. Id tu quoties experta es ó Respublica, quantos ex Logodædali eloquentiâ fructus percepisti, cum te juvaret consilijs, dicendi gloriâ defenderet; cum populos ad seditionem concitados placaret, cum strictos in tuam perniciem gladios ex nefariis sceleratorum manibus eriperet, cum tibi periculossimo confictatæ bello pacem tandem exultantem reduceret?

Vos verò, boni omnes, lugete Logodædali misérias; deplorate tanti viri calamitatem. Amisistis patronum, perdidistis acerrimum vestræ salutis defensorem, qui flagitiosos cives non minore vexabat odio, quàm vos omnes amore prosequeretur.

Obtestor ergo vos, Iudices, per sanctissimum illud, in quo sedetis, Tribunal, per ipsos hujus Curiae parietes, qui Logodædali voce toties personuerunt, & eundem amissum hodie desiderare, ac mutis pro ipso perorare verbis quodammodo videntur; per bonos omnes, quos tam fortiter tuitus est; per ipsos Superos, quorum religio-

nem ac cultum tam impensè defendit; adjuvate Logodædalum, tantum fori lumen, vestri Ordinis decus & ornamentum vestram suscipite in tutelam, & debitam summæ ipsius calamitati hereditatem adjudicate.

ORATIO

Pro Zeuxide Pictore Excecato,

Et si in id unum incumbere visi sunt, Judices integerrimi, qui ante me dixerunt Oratores, ut in deplorandâ eorum, quos defendendos susceperunt, calamitate, speciosissima quæque orationis lumina adhiberent, tamen satius ego duxi, si, neglectis Eloquentiæ pigmentis, non tam loquerer pro Zeuxide, quam spectandum omnium oculis illum exhiberem. Neque verò dubium mihi est, quin effossi ejus oculi tam vehementer perorent, ut vos ipsi ad tam scædum percussæ spectaculum, æstimantésque jacturam lucis ex ipsâ luce, quâ fruimini, vel è iudicibus tacitè fiatîs patroni Clientis mei, atque suffragiis vestris damna nulla in humanis rebus, cæcitate esse graviora decernatis.

At quamvis lucem nullam ab ordine mutuari necesse sit in cæci causâ, ubi malorum gravitas nec ordinem capit, nec modum, quod effusæ tenebræ omnia confundunt; dicam tamen ad æstimationem jacturæ Zeuxidis, hunc perditâ per cæcitatem lucis usurâ & mitioribus carere vitæ bonis, & durioribus mortis vivum ac spirantem malis affectum fuisse.

Querantur alij amissas opes, famæ damna gloriaque illi lugeant, quibus uti his bonis liceat,
nec

nec quibus majora sint dispendia, quæ doleant. Hæc Zeuxis non enumerat in vitæ bonis, quòd nec illa quidem, si affluerent, ut affluxissent Pictori celeberrimo, ijs frui posset. Ecquis enim homini cæco relictus bonorum usus, ubi nulla jucunditas, nulla delectatio, ubi luctus contra mœrorque æternus, ubi unæ superant lachrymæ, suspiria, gemitus? Tuum illud patrimonium, infelix juvenis, tuus census, tua hæreditas. An enim dolori parcat ille, abstergat lachrymas, suspirijs modum ponat ullum? an non extabescat desiderio, qui & oculos amisit & lucem, quibus dolores levantur omnes?

At enim hoc vobis allatum est, tanquam egregium ad tuendam Demarati causam præsidium, quòd filios, quòd uxorem, quòd numerosam familiam haberet; hæc utinam sibi posset Zeuxis vindicare, Judices! Demaratum mœrentem solatur uxor, nati recreant afflictum, tota familia mutuis studijs exhilarat. Mæstus ille, desertus totos per dies angustos lares habitat; nec ullam nisi in lachrymis suis aut spem, aut voluptatem habet. Nam quid ei dulce aut jucundum esse possit, cui cæcitas usuram ademit lucis & oculorum, quibus mundi hujus amœnitates, deliciæque delibat homo ac quodammodo possidet. Etenim quidquid est in aspectabili mundo pulchrum, quidquid mortalium oculis subjecit, quidquid dedit hominibus utendum natura, & quasi possidendum in commune, id sic ademptum est Zeuxidi, ut exhæredatus ab illâ esse videatur.

Et hoc quidem eò gravius debet illi accidere, quòd in informandis penicillo, coloribusque naturæ operibus versatissimus, eorundem pulchritudinem eruditioribus noverat oculis intueri.

Sed

Sed quid hæc leviora persequor? Oculorum vel ipsa sedes, artificium & munus dignitatem eorum pretiumque satis indicant. Quantum enim verò studium in ijs elaborandis adhibuisse natura visa est, quos variis integumentis ac veluti propugnaculis texit? quibus tanquam speculatoribus, altissimum in capite assignavit locum, ex quo cuncta circumspicerent, & contemplarentur? In cæteris sensibus lusisse, ut ita dicam, visa est; at omnem in efformandis oculis sagacitatem atque solertiam exhaustit. Et verò quid in toto homine præstantius, quid nobilius, quid pulchrius oculis, quid utilius, quid necessarium magis. Ii sunt fideles animi internuncij, ex quibus reconditiores sensus percipiuntur. Quod lux in astris, in cælo sol, in sole radij, id oculi in homine. Astra si privaveris luce, molem inutilem suspendis cælo: si cælum sole, si radijs exuas solem, publicum mundi oculum subducis, excæcas naturam, confundis omnia, ac permisces. Confodis homini oculos? vivam ac spirantem infodis sepulchro, mortis anticipatæ tenebris involvis, pretiosissimâ rerum omnium vitâ vitæque bonis ante tempus exspolias.

Etenim an illa vita est, an non habenda mors potius, quâ quis dulcissimo fratrum & amicorum conspectu privatur? Hoc tamen est, quod patitur Zeuxis: Vivit, sed ita vivit; ut mors ipsa foret illi expetenda magis quàm vita. Utinam, Iudices, utinam inter mortuos foret! malorum finem in morte, post jactationes quietem, post procellas, tempestatesque portum inveniret. Nunc autem vivit, ut perpetuis acerbæ vitæ doloribus excrucietur.

Saltem mortuus debitam benè actæ vitæ mercedem acciperet; hic verò omne malorum genus

genus spectatæ virtutis in præmium accipit : saltem mortuo campis in Elysijs videre parentem fas esset , & impensæ pietatis fructum suavissimum percipere ; hic mortalium omnium aspectu caret. O mortem lentam & indocilem hominum precibus flecti ! Reluctantes vocat , vocantes rejicit. Ratum est ergo ; vires , Pictor infortunatissime ! & vires , non ad miseriæ solatium , sed ad incrementum cladis ac cumulum. Fovebis in posterum tuos in sinu , ut nunquam in oculis geras ; sic aberis à te , ut manens apud te unum , nec sine duce exire , nec alios invisere unquam possis : sic tibi coram tuis præsens , ut tanquam tibi tuisque externus , nec te , nec tuos unquam videas. Vires , inquam , & vires in mortis malis ; ut omnibus vitæ commodis careas ; sic mortis privabere commodis , ut in vitæ incommodis consenescas.

Et erit aliquis tam crudelis , tam barbarus , tam ferreus , quem Zeuxidis fors infortunata non moveat ? qui Zeuxidem fratrum miserrimum esse neget , aut etiam illius sortem cum aliorum fato minimè comparandam esse inficietur ? Oro vos igitur atque obtestor , Iudices , date Zeuxidi paternam hæreditatem , ut non omnibus vitæ bonis spoliatur. Date , ut levi aliquo in mortis malis recreetur solatio ; date , unde vivat ille , qui cum tuendæ per se ac sustentandæ vitæ facultatem non habeat , meritò sperat de vobis fore , ut tanto suæ calamitatis incommodo vestra pietas medeatur.

OS (O) SO

ORA.

ORATIO.

Pro Elpidio Adolescente exsurdato.

Quæ res in hac, quam mihi hodie propagandam suscepi, causâ molestiam dicenti parere nonnullam deberet, ea me, Judices, mirum in modum reficit, & novas ad perorandum coram celeberrimo confessu vires, novos animos subministrat. Absit igitur à me, Judices, ut singulare Oratorum, qui prius ex hoc loco dixerunt, studium, & miram in animis commovendis industriam reprehendendam putem, dum illi pro se quisque Clientum suorum damna, tantâ cum eruditionis & ingenij laude extulerunt. Gratulabor mihi ipse potius, ut par est, superisque gratias agam amplissimas, quòd eos, à quibus metuendum Elpidio arbitrabar, patronos ipsius causæ totidem, defensorésque acerimos invenirim.

Nam si tanti est, ut, revera est; hominem aut manibus, aut oculis, aut linguâ carere obeam, quæ promanant inde incommoda; quanti demum fuerit, quæ sequuntur ex singulis, ea in se mala unum pati universa? Quæ quoniam in Elpidio eximie indolis, spei optimæ, atque acerrimi ingenij adolescente licet cum mœrore intueri; nemo est profectò, qui non existimare debeat, sublato per hostes aurium usu, fratribus suis gravius eum esse læsum, quòd hunc ipsum constet, & omnibus fratrum affectum fuisse malis, & bonis orbatum.

Magnum quiddam est, Judices, quod Demaratus avulsis manibus, quod Logodædalus excisâ Linguâ, quod Zeuxis effossis oculis tolerârunt

runt: at mente unum eundem & mancum simul, & elinguem, & cæcum languere, id verò tantò gravius est, quòd mala animi & sunt, & jure habentur malis corporis multò graviora. Atqui ea fors Elpidij est, qui cùm optimum ingenium, præclarissimam indolem, & liberalibus disciplinis aptissimam nactus esset, exsurdatus sit miserabiliter, priusquam sibi liceret quidquam ediscere.

O vicem adolescentis luctuosam! ô calamitatem omni commiseratione dignam! Quid tibi, infelix Elpidi, quid ingenium illud tuum profuit? quid te juvit insignis illa, quâ te præditum amabamus, solertia? quòd demum devenère dotes illæ omnes, quas tibi à Superis concessas gratulabamur; ex quo truncatis obtusisque penitus, ante artem ullam, scientiâque perceptam, auribus, non excidisti modò spe in reliquum vitæ tempus, sed & incommoda fratrum omnia in animo experiris?

Nam quid aliud animo putatis esse artes rerumque notitiam, nisi quod lingua, manus & oculi corpori sunt? Lingua visa vel audita narrat; Artes ijs, ut par est, narrandis præfunt. Manus res ipsas agit; Artes manum laborantem dirigunt. Oculi res aspiciunt, pervident, intuentur; Artes, quo pacto vel visis vel auditis utendum sit, edocent. Externa quippe hæc membra sunt instrumenta duntaxat ac veluti famuli quidam, administrique mentis arbitrae, judicis, dominae, artificis ac moderatricis; ac proinde, Judices, qui cognitione rerum destitutus sit, eum mente cæcum quodammodo, elinguem & mancum esse necesse est.

Ah! video, Judices vos commoveri; video quis sit vester eâ de re sensus. Intelligitis nimirum, & meritò intelligitis eum, surdus cùm sit,
nulli

nulli arti perdiscendæ esse idoneum : agnoscitis ereptam ipsi rei cujusquam faciendæ aut cognoscendæ potestatem : videtis eum esse ab omni facultate tam imparatum, quàm certum est artium cognitione imbui neminem, & initiari rerum mysteriis posse, qui mente sit destitutus.

At enim inquit adversarij ; quid est, quòd tam graviter expostulet Elpidius ? quid est, quòd se tam infelicem prædicet ? Linguâ, manibus, oculis uti potest. At hoc extrema ejus miseria est. Utinam, Judices non uteretur, cui ad nullam omnino rem utilem & honestam ijs uti liceat. Nam quid agat ? quid loquatur commodè, qui rerum sit adhuc rudis omnium & imperitus ? si loquendi quandoque animum cupido incessenter nihil nisi temerè & inconsultè loquetur, effutiet, deblaterabit. Si quid agendum se offerat, in quo eluceat ingenium ; rerum ignarus omnium quid operetur ? si ferendum de re aliquâ, quam oculis usurparit, judicium, nihil judicare prudenter poterit, qui, antequam rerum cognitionem ullam assequeretur, aurium usu crudeliter sit spoliatus.

Quod cum ita sit, Elpidi, quid lucem illucius sustines ? quid cum mortalibus diutius versaris ? Quin potius, judice me, cares publico ? quin te domi otiosum, & inglorium contines ? quin nuntium humano penitus consortio remittis ? sin verò te hominibus domi subtrahere non datur, quære remotiores solorum nemorum latebras ; pete inaccessa sylvarum loca, ibique te abde, conquiesce, conticesce. Crede mihi, Elpidi, honestius tibi ita vivere ab omni cætu disjunctum mortique proximum fuerit, quàm brutis
torum

torum more, sine sensu, sine mente, sine consilio
aut agere, aut loqui, aut videre.

Ne quis vestram tamen existimet, Judices,
me dum Elpidij damna extollo, aliorum condi-
tionem minimè deflendam arbitrari. Est hæc,
est certè omnium iudicio luctuosissima. Sed
omni solatio non carent. Habent cæteri, unde
levamen doloris sui nonnullum petant. Aliquo
quidem sensu indigent: at non omnibus: alijs
uti possunt percommode, sive ad comparan-
das sibi novas artes, sive ad paratas an-
tea perficiendas: possunt amicorum uti con-
gressibus, possunt societate mutuâ vitæ tædia fal-
lere, & quod uno sensu exequi nequeunt, alio
præstare.

At verò quamò miserior etiamnum est fors
Elpidij, cui habitandum semper apud se, latitan-
dum in tenebris, contabescendum præ dolore.
Qui nihil sciat, nihil calleat, nec scire quidquam
vel callere possit: qui nihil proferre queat nisi ab-
sonum, nihil interrogare, nisi intempestivum,
nihil agere, nisi imperfectum; qui denique per-
petuos de se & præsens & absens dare ludos
paret.

Si vos igitur, Judices, si vos singula fratrum
damna movent, uti neminem vestram esse puto,
quem fortis illorum non misereat; si in illo ge-
nerositate pietatè que in parentem laudatis,
quod manus secandas offerre non dubitaverit, ut
imminentem patri carissimo ictum averteret; si
hujus miseriam lugetis, qui cum magnam in per-
orando famam sibi comparasset, elinguis factus
est: si alium revera infelicem prædicatis cui par-
tam hætenus pingendo existimationem sustinen-

R

di

di diuitiis copia ablata est; moveat ille multo magis, qui singula fratrum incommoda pertulit. Potuisset Adolefcens optimus tractare arma, & in solum pulveremque bellicum ex umbrâ palæstræque domesticâ prodire, suamque in defendendâ patriâ fortitudinem exhibere: potuisset in foro versari cum laude, & ingenij pariter eruditionisque specimen edere: potuisset in alterâ qualibet arte strenuum se atque habilem profiteri. Verum neque militiæ nomen dare, neque dicendis causis operam ponere, neque ex doctrina ulla commendationem expectare jam potest. Quid igitur agat infelix? quò se vertat? quò confugiat? quid consilij capiat? cujus opem imploret, nisi paternam ipsi, quaecumque doloris tanti solarium hæreditatem adjudicetis?

ORATIO JUDICIS

Controversiam inter Fratres quatuor dirimentis.

Gravis penitus ac difficilis ex omni parte controversia vestris sententijs hodie dirimenda proponitur, Judices. Dicendum jus inter cives quatuor eosdemque fratres inter se conjunctissimos, huic civitati Juvenes carissimos, suo in Rempublicam studio, singulari in parentem charitate spectatissimos. Nihil postulatur ab unoquoque, quod singulorum meritis non debitum, quod inferior eorum virtuti merces videri non possit.

Tamen nec licet nobis omnes facere voti sui compotes, nec pronunciare unius ex illis in gratiam, quin cæteri læsos se fuisse aliquo jure suo

suo conquerantur. Scilicet hæreditas paterna non divisa, sed tota, non ex parte tantum, sed in solidum & ex asse ita singulos respicit, ut singulis minimè possit contingere. Instituit pater bonorum omnium hæredem unum aliquem è liberis, qui amantior patris inter omnes, qui vitam ejusdem libertatèque majore damno redemisset.

Certatum est ab unoquoque viriliter, non tam hæreditatis potiundæ gratiâ, quàm ut ardentissimum, quo flagrabant omnes in patrem, perenni monumento amorem consignarent. Quo demum exitu? Fecit disertissima Patronorum, qui pro Clientibus invicem dixerunt, Oratio, ne cuiquam lateat: & plerique vestrum testes existimæ fortitudinis, quam singuli fratrum edidère, suis ipsi oculis usurpârunt. At quo omnium dispendio? quanto singulis stetit paterna salus ac libertas ab hostium furore vindicata? Hic præcisas manus vidit impiger, dum brachiorum oppositu capiti paterno fatalem ictum avertit. Ille captus ab hostibus, avulsâ crudeliter linguâ loquendi facultate privatus est. Alter effossis immisericorditer oculis lucis usuram perdidit. Ultimis recisis per summum nefas auribus exsurdatus est. Parem omnibus crudele vulnus jacturam intulit. Demaratus Statuarius insignis & strenuus in bello miles excisas fuisse opes suas spemque parandæ gloriæ omnem ablatam expululat. Luget elinguis Logodædalus interclusum sibi ad laudem aditum; &, quam labore multo sibi fecerat disertus orator eloquentiæ famam, perpetuâ silendi necessitate evanescere. Zeuxis pictor egregius orbatus oculis miserabiliter, non habet deinceps, unde sustentet vitam, aut partum

pingendo decus tueri possit. Elpidius magnæ expectationis adolescens in ipso ætatis flore exsurdatus, in summâ rerum omnium incitiâ longum vitæ spatium nulli idoneus arti prorsus exiget. Sensit infelix pater miseræ sobolis calamitatem, & filiorum ad aspectum ex dolore conturbuit. Felix, vel dum moritur, si mederi singulorum incommodis, & pium in amantissimos filiorum animum potuisset consignare.

Nos verò quid statuemus, Iudices, tam difficilis controversiæ arbitri constituti? cui demum ex omnibus paternam hæreditatem adjudicabimus tanquam miserrimo inter ceteros, & magis pro paternâ salute tuendâ detrimentum passus? Equidem scio esse eorum neminem, qui dignam illâ videri non debeat: qui eandem calamitatis suæ in subsidium sibi non vindicet: qui suâ orbate vestros animos non inflectat ad commisionem suâ. At nullus ibi misericordiæ locus est, ubi æquitatis unius ratio debet haberi. Non satis est miserum in suâ sorte quemlibet judicari, nisi fratrum miserrimus æstimetur. Huc ergo recedit totius contentionis caput; quis omnium fati suo infelicissimus debeat reputari. At hoc ipsum decidere, quàm arduum & operosum debet videri!

Audiistis, Iudices, quantâ animorum contentione, quàm disertâ verborum copiâ, quàm exquisitâ ingenij sagacitate eruditissimi Patroni vicissim certaverint, suis ut quisque in Clientibus perfectissimam calamitatis ipsius imaginem elaborarent: At quid perfecerunt dicendo, nisi ut difficultatis nodum intricarent arctius, nedum extollerent; nisi ut eloquentiæ suæ fulgore perfringerent

xerint, oculos, tenebras ipsas & insitam controversiæ caliginem non depulerint? Video vos incertos adhuc & ancipites, quid pro æquitate vestrâ pronuciare liceat. Nihil leges, nihil civitatis ipsius instituta, nihil juris ipsius ratio suppeditat, unde ferre iudicium in tantâ causæ novitate atque insolentiâ possitis. Nobili Statuario ac strenuo militi manus abscissæ sunt, quid durius? Perito Oratori avulsa lingua est, quid tristius? Pictori celeberrimo eruti sunt oculi, quid miserabilius? Adolescenti lætissimæ expectationis aures amputatæ funestissimæ in omne tempus ignorantia farum important, quid luctuosius? Quid erat singulis metuendum magis, quàm quod singuli patiuntur? vel quis calamitatis gradus illis accedat, qui summum calamitatis cumulum experiuntur? Sentio ipse, Iudices, quales inter angustias verfer, cui aditus omnis ad ferendam sententiam interclusus videatur.

Tamen expectatis, ut loquar, neque munus illud, quo per vos & apud vos hodie defungor, filere me patitur. Ergo, ne ludere spes vestras, aut commissæ provinciæ defuisse videar; ne suprema Testatoris ipsius voluntas, quam magnæ religioni semper habuimus, cassa & irrita sit; aio Polycratis hæreditatem Elpidio fratrum minimo esse eo nomine adjudicandam, quod omnium infelicissimus debeat æstimari. Habent hoc Fratres cæteri in calamitate suâ subsidium non leve, ut se rerum gestarum gloriâ consolentur, & eâ, quam sibi apud omnes in suâ quisque facultate pepererunt, famâ doloris sui acerbiter mitigent. Obversabuntur perpetuò Demarati oculis egregia illa artis suæ monumenta, quibus civitatem nostram decoravit, & quod dedit in bello fortitudinis eximie specimen, audiet om-

nium linguis celebrari. Fruetur Logodædatus navata laudabiliter tam publicis quàm privatorum commodis, operæ conscientia, & suavissimo tot amicorum, quos olim consilio juvit, eloquentia gaudet, commercio recreabitur. Neque suum deerit Zenxidi Pictori celeberrimo solatium, qui perfectissimas rerum omnium imagines animo complexus easdemque coloribus ac penicillo imitatus tam scienter, se se dulcissimâ illarum recordatione pascet & cæcitatæ suæ tenebras quoque modo mitigabit.

At quid ejusmodi simile manet infelicem Elpidium, qui in ipso adolescentiæ limine exfurdatus, nec ulla potuit assequi suæ orbitatis adiumenta, nec habet in omne tempus, sibi relictus unquam, unde conditionem acerbissimam sustentet, aut consoletur? Quare Elpidio exfurdato, omnibus fortunæ animique bonis destituito paterna hereditas adjudicator. Verùm ne filijs posthac omnibus ad paternæ observantiæ defensionisque laudem desit incitamentum; ne Respublica civibus optimis & de se bene meritis defuisse videatur, ne careant illi calamitatis suæ solatio, & fortitudinis, atque industriæ suæ præmio defraudentur, tantundem singulis tribus Fratribus ab Republicâ parente optimâ de ærario sufficitur. Omnes, quoad vivent, in Prytaneo aluntur. Mortui de publico effertuntur conduntorque perhonorificè communi sepulchro: cui ad perpetuam rei memoriam inscribatur:

Dijs Manibus piorum Polycratis Liberorum
Senatus Populusque Atheniensis posuere.

IPHIL-

*in urbem paulo post Iphicrates, occiso
hostium Duce, petit ad supplicium A-
coetæ Liberos; ipsum verò reum agit
ex eâ lege, quæ calumniatori irroga-
ret pœnam, quam ipse intulisset. Acoe-
tes morti ultrò se offert, ut à Liberis
necem depellat, pro Acoete ipso interim
Liberisque ipsius alter perorat.*

ACTORES.

IPHICRATES, Dux belli.

ACOETES, Iphicratis Accusator.

SYNIGORÛS, Acoetæ Defensor.

CRITICUS, Judex.

IPHICRATES.

Vestras, Judices, pro virili parte ultus sum
injurias, meas vicissim, pro æquitate ve-
strâ vindicate. En urbis mœnia obsidione
soluta sunt, fugatus est hostis, civis jam liber
metu respirat. Mœret heu! in communi lætitiâ
una victoris domus, per quem effectum est, ut
unicuique vestrum liberis, conjuge, & incolumi
patriâ frui liceret! Huic ne suos quidem liberos
revisere & amplecti fas est. Quod si pro patriâ
concidissent, si parentis ad latus ante muros ur-
bis illis oppetere contigisset, eorum jacturam in-
veniendis suis civibus bene collocatam putarem, &
libero-

liberorum honesta mors patris orbitatem solaretur. Nunc eos in patriæ sinu fraude circumventos, oppressos calumniâ, falsum patris ob crimen turpissimâ morte periisse, quis ferat? Equidem cum Reipublicæ defensionem suscepi, nullum mihi fore certamen existimaveram, nisi cum hostibus patriæ; nullum nisi ab illis reformidavi periculum. Ecce mihi civis factus est hoste crudelior; hostis enim meo contentus sanguine innocenti liberorum sanguini pepercisset.

Quid plura? Nostis injuriam, Judices, auctor in conspectu est. Vestrum est, pro legum nostrarum æquitate, itatuere, ut par pari pœnâ referatur. Non ut moriatur Acoetes postulo. Vivat sanè, quoniam vitæ meæ pepercit; sed orbis parens vivat in eversâ domo. Tres liberos abstulit, tribus liberis careat. Meos furori suo immolavit victimas; suos meorum manibus placandis inferias repeto.

Quodd si durum hoc & inhumanum esse censeat, cernat ille prolapsam & afflictam domum, quæ paucos ante dies tam lætâ exultabat prole, tam longâ virorum illustrium serie hæctenus flourerat, discat, quàm parùm meritis videar tristissimam meæ orbitatis acerbitatem.

Electus à vobis fueram, Judices, Dux militiæ, desperatis penè patriæ rebus; victi spes nostras his incenibus tuebamur; eaque jam multis in locis diruta erant & aperta. Unum pro cunctis caput objeci; rem aggressus sum dolo, quoniam manu vincere non licebat. Excessi urbe tacitus, liberos meos Dijs hujus urbis præsidibus commendans; vobis commendâsssem, Judices, si cum pluribus consilium communicare periculum im-

minens sivisset. Quis fuerit eventus, omitto dicere, neque vos, credo, vel consilij mei, vel silentij pœnitet. Liberata civitas; victus hostis est, victor in urbem redeo.

Victorem qualis pompa, quis triumphus excipit! Tres Liberos, quos ad familiæ columnen, ad defensionem patriæ sedulo instituebam, crudelissimo supplicio affectos audio patris ob defectionem. Non immoror, Judices, in hoc confutando crimine, quod facta mea, vel tacente me, satis ressellunt. Licuerit Accusatori iniquissimo concepta jamdudum explere odia; fidem meam, quæ spectata satis erat & cognita, revocare in suspicionem, suscitare in me furorem plebis, & nomini meo turpissimæ proditionis labem inurere. At quid innocentes pueri meruerant? Proferat Accusator culpam aliquam, vestigium aut umbram sceleris, cui affines meritò videri possint. Conjuraverant, credo, in patriam? clandestina cura hostibus inierant consilia? perniciem hujus urbis nefariè moliebantur? Quàm hoc non credibile in pueris, quantum ab hujus ætatis indole, & viribus ejusmodi scelus abhorret! Tamen fac eos proditionis reos esse. Nihilne antiqua generis nobilitas, nihil familiæ splendor, nihil continua Majorum hanc in Rempublicam merita, nihil patris reverentia, quem populi suffragia hujus urbis copijs præfecerant, si non ad veniam, saltem ad commiserationem, vel pœnæ temperamentum aliquod prodesse poterant?

At enim video quid iniquus Accusator voluerit, & quâ sit usus defensione. Liberos fortasse meos innocentes non negabit; at multatum fuisse in sobole parentem contendet. Quam tandem

dem ob causam, Judices? quod tandem scelus? quod admisi facinus tam inexpiabile, ut illud mihi triplici morte luendum sit? An quod vitam in apertum discrimen adduxerim, ut salutem vestram consularem? quod deploratae civitati succurrerem? quod miscendum cum virtute dolum, ubi virtus sola nihil posset, existimaverim? quod exierim ex hac urbe, exeundi vero causam tacuerim & consilium? Nihil equidem video, Judices, quod vel in vitam, vel in rebus gestis tam crudeli poenam dignum sit. Extremum huic urbi imminabat exitium: avertendum erat, averti. Reprimendus erat hostium impetus, repressi. Amputanda ferro publica calamitas, amputavi. Silentium imprimis erat, ne, si vulgaretur consilium, exitu careret, filii. Ecquod in ijs omnibus crimen est? si scelus est; vobis, Judices, illud scelus profuit. Cur ego plector ob illud scelus? cur fructus criminis communis civium, mea vero unius poena est?

Sed esto: creditus fuerim bonam fide nocens: dederit Accusatori egressus ex urbe fugae suspicionem: continuatione spargenda res fuit in publicum, quasi certa foret? Dubitandum, sciscitandum etiam ex alijs, explorandum certe, denique expectandum fuit, dum res innotesceret. Verum non ita prudens & lentus solet esse livor: nescit consilio, cunctatione, deliberatione uti. Pascitur suspicionibus vel levissimis; sectatur umbras criminum, insidiosa quaeque arripit: dubia pro certis, obscura pro compertis, falsa pro veris habet, & pro meris nugis tragœdias excitat. Exit ex urbe Iphicrates? statim proditor audit & transfuga. Verum incerta res est; latet certe; divulganda nihilominus, vicatim ostiatumque amici.

ini.

inimici, familiares, ignotique conveniendi sunt: imbuendæ mentes credulæ plebis, aures falsis rumoribus; suscitandus furor, acuenda odia! Sed in quem? in absentem. Ad sunt innocentes liberi? multentur patris loco, seu potius multetur in sobole parens. At quo supplicio? effero, immani, inaudito? Protrahantur è laribus domesticis, quorum in tutelâ latent: permittantur seditiosæ multitudini: discerpantur patris absentis nomen inclamantes; suam & patris innocentiam, ætatis suæ jura, familiæ merita, Deûm hominûmque fidem contestantes!

An hîc tandem conquiescet sicarij crudelissimi barbaries? Meum, meum quoque sanguinem hauriat, si tanta illi cruoris sitis est. Seu potius, Judices, debitas crudelitati suæ pœnas luat. Equidem dies ac noctes versantur ob oculos cruentæ liberorum umbræ conquerentium, se à me desertos periisse. Horum intueri vultus, voces exaudire mihi videor. Ubi eras, inquit, pater amantissime, cum plebis furor in nos desæviret? ubi nunc es? cur nos pateris inultos? ô diem mihi in summâ felicitate luctuosum! Victor, pro triumpho, ultionem repetere cogor; & necem eorum persequi, quos vel capitis mei periculo cum cæteris civibus servaveram. Verum etiam si tacerem, an silerent leges vestræ, quæ injurias paribus damnis compensari jubent, & calumniatores, quibus reos afficere voluerant, paribus ipsos pœnis affici? An ergo vexator florentis familiæ, domûs innocentis everfor pœnam à legibus crudelitati suæ constitutam effugiet? an ille furorem suum liberorum meorum sanguine impune expleverit? an inulti jacebunt filii mei, dum sui superstitibus orbitate meâ fruentur? Non funus pro funere,

nere, luctum pro luctu, animam pro animâ, sanguinem pro sanguine rependent? Liberi, quos hic lugeo, Judices, liberi vestri sunt, non tantum quod in Republicâ vestrâ nati, quod eo parente geniti, qui totus vester est, sed etiam, quod meis vocibus & exemplo informati ad vestram gloriam & defensionem feliciter adolescerent. Liberos igitur vestros, obtestor, per hujus diei felicitatem, per hanc dexteram, quæ vobis præsidio fuit, Liberos, inquam, vestros, & inexpiatum illorum sanguinem, vindicate. Hunc à vobis triumphum exspecto. Nolite pati eum, qui vestrâ in causâ vicerit, eodem die, vobis Judicibus, tam justâ in causâ vinci.

ACOETES

Iphicratis Accusator.

Nemo vestrûm, Judices, huc me prodire existimet, vel ut injectam crudelis accusationis invidiam amoliar, vel ut inanibus lachrymis ac precibus imminens capiti meo periculum coner declinare. In his rerum mearum angustiis sentio, quàm frustra utrumque pertentarem. Nam quid favere mihi jam possit, vel unde præsidium aliquod liceat expectare? Instat Iphicrates generis nobilitate conspicuus; non habet Acoetes, nisi ut natales tenebras incuset. Infert calumniam adversarius divitijs, gratiâ, clientum auctoritate potens; ego destitutus omni patrocínio, & summâ rerum inopiâ laborans quid opponerem? Ille inexpectato audacis facinoris exitu, & suâ inflatus victoriâ vindictam armatâ manu postulat; ipse ad cæteras meas miseras iniquiorem sortem expertus nequicquam fatalem ictum deprecarer.

Igitur

Igitur frui triumpho tuo, Iphicrate; habes & fatentem reum, & quamcumque in metuleris, sententiam minimè detrectantem. Perime destinata tibi jam diu victimam: exsatis veteres inimicitias, satura te nostro sanguine, nihil deprecor, nihil abnuo. Totum me tibi nimia patriæ charitas mancipat: hæc me nocentem fecit, si videor nocens. Felix hoc saltem nomine, quod publicæ salutis, priusquam tibi, infelix Acoetes occumbat! Rem peragite, Judices, vel Iphicrates potius ferrum ipse nostrum in pectus exigat. Verùm quid iras persequatur longius, & innocentes meos Liberos neci destinet? Vestram fidem, Judices! placet hic vobis Iphicratis impotens furor, cui non satis est, parentem si mactet, nisi eodem fato nihil tale meritam sobolem involvat?

Infelix ego, qui non modò ærumnosos calamitate meâ Liberos, sed & nocentes fecerim! Nam nocentes illi sint oportet, qui repetuntur ad necem. Non satis est esse miserum, qui plectitur, niqua nocentem culpa effecerit. Aliud mihi de vestra æquitate, Judices, sentire non licet. Non est istud infortunatis hominibus tribunal, sed nocentibus solis pertimescendum. Imò, imò ipsa calamitas certum apud vos semper præsidium habet: & qui vestris in judicijs nihil præter invisæ sortis injuriam afferat, is non sibi contumeliam à vobis, sed commiserationem potius ac patrocinium accersat. Ergo te paterna calamitas nocentem fecit, infortunata soboles, cujus hodie supplicium apud æquissimos Judices postulatur! Testem ipsum te volo, Iphicrate; neque vel hostis infensissimi propriâ in causâ judicium reformido.

Age

Age quid aliud Liberis meis objicis, nisi quòd infelicem patrem habent? Culpam profer, propter quam à te damnantur. Clamitasti quidem multum, victoriam ostentasti, indignis tanto Imperatore querimonijs populum in me meosque concitasti. At cujus tandem sceleris nomine devovendos furori tuo meos Liberos vindicas? Ede nunc etiam, si potes, quidquam ejusmodi, vel saltem finge sceleris umbram aliquam, quæ fucum faciat. Nihil est, quod timeas; tua te auctoritas, opum magnitudo, populi gratia satis tuentur, tibi ut comminisci aliquod maledicti genus impunè liceat. Quid files? quid conticescis? En ego te adjuvabo, & tibi vel in Liberos meos accusationis caput sufficiam.

Ageret ex annis rerum seriem atque ordinem, quæ legitimæ accusationi materiam suppeditare possint. An tibi infelices illi adolescentes machinati sunt insidias? An astiterunt patri in iudicio, cum te accusavit, aut suffragatores, aut testes? an populum in te concitârunt? aut insurrexerunt tuam in sobolem? an lapidibus armati furiatæ plebis invidiam aut provocaverunt, aut adjuverunt? Quàm miserum est infortunato parenti, Judices, ad eas redactum esse angustias, ut, dum filios tuetur, ac defendit, etiam cogatur suggerere adversario nocendi argumentum; Vide, Iphicrate, ut innocentia conscientia securos nos facit. Tuum est eligere ex ijs omnibus aliquid, unde nocentes Liberi mei saltem videantur. Si nequis, fatere demum, quàm temerè, quàm injustè eosdem incuses, & inhumaniter jubeas enecari.

Quamquam, Judices æquissimi, dolet Iphicrates

crates

crates tergemina sibi perjisse sobolem, neque dolori suo satisfieri existimat, nisi Liberos totidem meos interemerit, iteratoque toties supplicio, quam repetere à me vindictam nolle se fingit, eandem multò crudeliùs exigit. Equidem parùm humanus ego sim, & parùm sincerus, si dissimulem, quantam vel in victoria sua dolendi fegetem invenerit. Sed tamen culpandus hic dolor, qui nisi flagitio placari non possit. Verùm quid dolorem dico: furor est, sævitia est, immanitas est. Te pudeat, Iphicrate, imitari barbaros, aut etiam crudeliores feras, quarum impotens fitis & rabies, nisi sanguine humano, non extinguitur. At si tantopere sanguinem fetis, quin petis dari tibi in victimam quotquot extiterunt filiorum tuorum interfectores? Collige lapides, quibus illi obruti sunt: recense singula populi capita, qui unanimi penè consensu ad patrandum facinus accessit. Aude etiam aliud, quod furori tuo magis conveniat, ipsos aggredere Judices, quorum sub oculis; ipsisque adèd minimè repugnantibus interempta tua soboles fuit. Tu mitius aliquid postulares, quàm si dedi tibi petas ad pœnam, qui nullam peractæ cædis in partem venerunt. Hoc etiam adijcietur tibi majus ad dolorem solatium, quò majorem sanguinis copiam effuderis.

Videtur, Judices, ut nihil iniquum precer infortunatæ soboli, quam injusto Iphicratis dolori ereptam velim. Hoc ergo sperare liceat à vestra æquitate solatium, ut eorum suscipiatis defensionem, quorum innocentiam perspiciatis. Non ego pro ipsis hodie deprecator accederem, nisi parentem haberent illum, quem nimia in patriam charitas calamitosum fecit. Quamquam neque
me

me fortis hujus pœnitet, neque vereor etiam nocens appellari, si patriam amasse nimirum scelerum imputetur. Noli timere, Iphicrate, ne, vel me ejusmodi crimine purgare velim, vel cruentam hac mercede mortem refugiam. Erit, ne dubita, erit mihi gloriosum occumbere, dum publicæ salutis reus occumbam; neque tam supplicium Iphicrates irrogasse videbitur, quam immortalē gloriam peperisse. Unum hunc adjicite gloriæ pariter ac lætitiæ cumulum, ut, dum morior, dignos tribus in Liberis paterni studij æmulos & hæredes vobis relinquam.

Sed quid moror? Comprehendite me, lictores, ducite quamprimum ad mortem; sanguinem meum fundite. Quis scit, num fusus Acoetæ cruor Iphicratis iras mitiget, aut etiam restinguat?

SYNOGORUS

Pro Acoete ipsiusque Liberis contra Iphicratem.

Quod Oratori novo atque in hanc judiciorum Palæstram primum descendenti maxime operandum est, & quod ad expromendam sagacioris ingenij prudentiam, conciliandisque hominum animos pertinere solet, æquissimi Judices; id ipsum mihi nunquam ante hunc diem Forensibus in rebus exercitato fateor defuisse. Nam cum junioris patris probabilitas causæ, quam defendit, solertiam commendat, & audientium favorem ac gratiam demeretur, tum ego sensi quam lubrico, quamque difficili versarer in loco, qui venire unus contra omnes, & communibus

G

suffragijs

suffragijs viderer adversari. Quis enim hic, Judices (nisi me totius populi clamores, cum diceret Iphicrates, fefellerunt) vel ditissimi viri potentiam atque auctoritatem non vereri, vel victoris triumpho non applaudere, vel miseri parentis orbitatem dolere non visus est? Interim video infelicissimos juvenes omni ope, auxilioque destitutos, quibus hæc una, durior ipsâ morte, salutis spes relinquitur, si fortè infortunatæ Acoetæ sanguine placatus Iphicratis furor ab infestâ sobolis cæde abstineat. Video ipsum Acoetam non tam adversariorum sententiâ, quàm suo ipsius calculo condemnatum, & se ultrò ac fortiter morti devoventem.

Quid agam, Judices? Eloquar: an silere potius, & suis permittam fati miserissimam familiam, quam disertissimi Oratoris facundia severissimis judicijs frustra conetur eripere? Tamen occumbent infontes Liberi? morietur infelix pater? & hoc fiet apud æquissimos Judices, solitudinis atque innocentiae contra auctoritatem ac gratam tutores ac patronos? Ah! finite me existimare melius de vobis: sentio mihi novos adjici animos ad dicendum; aded me vestra omnium æquitas reficit ac sustentat! Dicam ergo confidenter pro Liberis adversus iniquam Iphicratis postulationem; dicam pro parente contra se ipsum; dicam pro infringendâ lege, cujus vi reus impetitur ac de singulis ita dicam, ut non tam privatorum hominum egisse causam, quàm publicam totius civitatis commoda videar propugnâsse.

Quamquam quid ego tres Acoetæ Liberos defendere rursus aggredior? aut quid adjiciam ad ea, quæ studiorum parens idem & disertorum patronus

patronus tam feliciter peroravit. Nam quæ illa demum victoria tua est, Dux fortissime, quæ te tam cædis avidum, tam sitientem sanguinis effecit? Esto: demus hoc tibi, peccârit in te, vel sciens ac volens infelix Acoetes, & dignum morte scelus admiserit: en se se offert furori tuo victimam, paratus ultrò luere quascunque pœnas irrogâris. Quin plectis reum, & appetentem ultionis animum exfatias? Nihil ille de tuâ crudelitate conqueritur, non delictum defendit, non cruentam mortem deprecatur. At cur in ipsius Liberos sævire ardes? quam illi paterno in scelere partem habuerunt? Ede crimen, quod puniri morte debuit; aut culpâ illi si vacant, cur infontes supplicio destinantur? nempe non satis unus ad pœnas videatur parens, nisi parenti sobolem conjunxeris? non placet ille furorem tuum, qui semel tantum mori pro conditione sua possit, nisi tribus in liberis triplex lethi genus exsolvat? Atenim ereptam tibi tergemina sobolem doleres? Crudelis dolor, qui nisi alterius dolore mitigari non queat! Victoriâ tuam nobis ostendas, & assertam per te patriæ salutem fuisse gloriaris: Equidem fateor; tibi multum debet Respublica; sed an navatam feliciter magis quàm prudenter operam compensare non potest, nisi sanguinem fundat innoxium? Testor te ipsum, Iphicrate, velles Rempublicam ex tua victoria plus detrimenti, quàm utilitatis percipere? velles perire tres Adolescentes optimos, qui suo quoque tempore victorias, & ipsi multas reportabunt; an idèò tantum vicisti, ut paulò post tuâ ipsius crudelitate vincereres? Quasi verò digna satis victoriæ præmia Respublica non habeat; aut non satis amplum foret præmium decerpta laus, cum totius populi gratia conjuncta?

G 2

Sed

Sed quid ego hîc diutiùs immorer, Iudices, & rem jam actam ulteriùs persequar? Venio ad eximendum parentem ipsum, quantumvis repugnet ille, & se ultrò volens morti devoveat. Hic verò finite me paulò liberiùs queri, quàm aut ætas fortasse, aut debita hujus loci auctoritati reverentia patiatur. Nam quis hîc tumultus fervet? cur conversos video in miserum Acoetem oculos quasi de salute ipsius conclamatum jam fore? cur homini innocentissimo vertitur crimini, quod è vero, sinceròque patriæ studio profectum est? Non ergo studuit ille patriæ, qui orbatam illam Imperatore suo cùm videret, & rem ad extremas angustias rediisse, monuit Rempublicam, abesse eum, cui commissa urbis defensio sit? Abest enim verò, Iphicrate, &, nemine in partem consilij adhibito, in castra hostium profugerat. Interim trepidat civitas, tumultuatur populus, & suspicatus quod non erat, furias more suo concipit, bacchatur per urbem, in Liberos tuos involat, lapidibus eosdem obruit, qui parentem multò lubentiùs obruisset. Tu paulò post, perempto hostium Duce redis in urbem, felicior certè, quàm prudens, qui Rempublicam, nisi res tibi ex sententia successisset, in extremum discrimen adduxeras. Nam quid agat periculi metuens populus, qui præpositum sibi Ducem defecisse ad hostes conqueratur? Quam spem habuisset aliam, nisi ut panderet portas hostibus, & menturâ deditioe victoris clementiam imploraret? Scilicet periculosâ plenum aleâ consilium clam esse voluisti, ne vulgatum resciret hostis? Non erat ergo in hac civitate prudens aliquis Magistratus, cujus fidei inusitatum facinus crederes? qui facti conscius, quod meditabâre, placâisset plebis animos.

animos, iras mitigasset, præstitisset securitatem,
& lætioris exitus expectationem suscitasset.

Tuam tibi calamitatem imputa, quam in
Acoetem frustra refundis. Nam quid Acoetes
fecit, Judices, quod facere bonum civem non
decebat? An stare debuit lentus, & otiosus, qui
periculi sentiret magnitudinem? an non adire
Magistratum, quem unum succurrere posse afflictae
urbi intelligeret? Cedo quid aliud, Iphicrate,
quod in Acoete reprehendas? Nisi fortè id etiam
criminis nomine imputandum putes, quòd vir
tenuis ac pauper uno publicæ salutis adductus
studio id ausus est, quod viri nobiles vel metu
tui nominis, vel amicorum tuorum auctoritate
deterriti facere refugebant. Novum crimen,
Judices, & si quid Iphicrati credimus, extremo
supplicio expiandum!

Si tamen multandum putatis, quod commu-
nis utilitatis gratiâ peccatum est, quis deinceps
tanto cum periculo patriæ consulet? quis diffi-
cilem accusatoris provinciam implebit? quis contra
potentum impetus ac nefarias molitiones obsistet?
At enim non amore patriæ, sed capitali impulsus
odio Iphicratem Acoetes accusavit? Nempe vi-
rum in divitem, quem auctoritas, vis, gratia tu-
tantur, pauper & ignobilis tantum audeat! Quam-
quam liceat hoc ipsum contestari judices, si qua
odiorum semina suspexistis. Agite enim, cum
apud vos Acoetes diceret, an maledictis accusa-
tionem suam asperavit? an indulsit inimicitijs? an
in ipso Liberatorum ipsius funere visus est trium-
phare?

Restat hoc unum, ut legis auctoritatem, quæ
G 3 per-

perperam Iphicrates abusus est, infringamus. O legem benè ac sapienter institutam, Iudices, ut quisquis pœnam alteri malè intulit, eandem & ipse vicissim ferat! Vide Iphicrate, quàm parùm reformidemus momentum legis illius, quam intemas. Hoc profitemur tecum ultrò, dignum esse quovis supplicio injustum accusatorem; non eludemus auctoritatem illam, quam profers: sed age, cur abuteris in Acoetem illâ lege, quæ ipsum non petit? An cadit lex illa in eum hominem, qui injustus accusator non fuit? aut injustus accusator censebitur, quem nulla nocendi libido, sed una publicæ utilitatis ratio ad accusandum stimulavit? Ergo tu proba perversam in Acoete voluntatem ostende signum immoderatæ cupiditatis: profer, si potes maledictum aliquod aut calumniam, quam inter accusandum effuderit. Hæc enim sunt, Iudices, quibus vulgò se prodit illa cupiditas, quæ frænium non patitur, neque se unquam intra iustos moderationis limites continet, cum expansandi liberiùs locum nacta est. Ede, inquam, Iphicrate, repentinum aliquem, qui vel iracundia ac repugnantibus excidit, vel odij, vel iracundia motum; vel noli reum legis agere, quem lata lex spectare non potest.

Absolve, Iudices; & quoniam nihil video deinceps, quod vel misero parenti, vel ærumnosæ soboli faceffere negotium possit, oro vos atque obtestor, per æquitatem illam, quæ nemini unquam innocenti in hac civitate defuit, calumniosæ familiæ partes acriter, ut soletis, suscipite. Ne noceat infelici Acoetæ, quòd ignobilis ac pauper, quòd ope destitutus ac gratiâ contra nobiles virum, divitem eundem ac gratissimum iudicium contenderit. Nolite obstruere aditum plebei

etiam hominibus, ut, si bene mereri de Republica possint, potentum auctoritate metūque deterreantur. Parcite latissimum hunc diem, quem non tam Iphicratis victoria, quàm addicta huic urbi felicitas peperit, innocentium cæde funestare. Satis sit nobis, quòd ereptos infelici fato tres cives optimos requiramus; cavete desiderium nostrum novis funeribus cumulare. Tūque, o Iphicrate, moderare tantisper dolori tuo: frueri sinceris lachrymis, quas tuæ calamitati omnes impertimus. Noli injusto furore perturbare communem de tuo mærore luctum: parce abuti pertinacius propensissimâ totius civitatis in te voluntate miserorum ad perniciem, & aliam tibi quàm civium nostrorum in sanguine, triumphandi materiam apprecare.

CRITICUS JUDEX.

Novum causæ genus, & gravissimis undequaque implicatum difficultatibus vestris judicijs hodie dirimendum deferimus, æquissimi Judices. Hic enim communis libertatis assertor & publicæ vindex salutis tergemine sobolis orbitatem luet; quid miserabilius? Inde peractæ cædis auctor innocens morti se devovet, dum Liberos suos tristibus, quæ meruisse non possunt, fatis eripiat; quid generosius? Denique civis optimus hoc uno reus nomine, quòd patriam nimium amaverit, in judicium adducitur, & vestris sententijs interimendus proponitur, quid iniquius?

An nullum feret Iphicrates victoriæ præmium nec solatium orbitatis? reclamat æquitas, & consuetudo nostra prohibet. An adolescentes optimi, & ab omni suspitione criminis alieni pœnas

G *

luent

huent? non cadit in hoc tribunal tam crudele facinus. An infelix Acoetes sui in patriam amoris fructum hunc feret, ut vel sortis iniquæ, vel iusti doloris victima concidat? quantum hinc detrimentum Respublica nostra pateretur! Tamen nisi addicatur neci infortunata Acoetæ soboles, nec pensari labores suos, nec orbitatem suam refarciri posse Iphicrates profiteretur. Clamat Acoetes jura violari omnia, nisi Liberi sui supplicio, cui se sponte devovet, eximantur. Negat arum nosæ familiæ patronus affici eandem posse ullâ contumeliâ, quin inde Respublica nostra detrimentum ferat. Quid statuendum putatis, Judices? quis vestris sententijs locus relinquitur? Quocumque feratur animus, pares undique angustias, per incommodum offendit. Retexamus breviter totius causæ feriem, Judices, & quoniam mihi omnium primo dicendum est, quid sentiam; liceat singula partium momenta diligenter expendere, &, quod quisque afferat causæ firmamentum, perscrutari.

Imminebat nostris mœnibus metuendus hostis: jam obsessa civitas fatalem casum metuebat, & quanto minus prævideret hostilem impetum, tanto magis impar ad declinandam perniciem sibi videbatur. In hac rerum perturbatione præficiatur defendendæ urbi Iphicrates natalium splendore, ac divitiarum copiâ spectatissimus. Verum non ita multo post urbem deserit, & nemine consilij in parrem adhibito, hostium in castra nocturno profugit. Rem comperit Acoetes obscuro nato loco & rerum omnium egentissimus: continuo in Senatum advolat, nunciat defecisse ad hostes Iphicratem, & de parando obsessæ urbi præsidio Magistratus admonet. Miramur, obstupescimus! Frustrâ
que.

quæritur Iphicrates; nusquam est. Hinc crescit perturbatio, augetur metus, tumultus invalescit. Mox impotens furoris populus Iphicratis in domum irrumpit, & raptos inde tres ejus Liberos lapidibus obruit. Redit Iphicrates, partâ de hoste, quem propriâ manu occiderat, victoriâ. Lucum pro gaudio, pro triumpho funus multiplex, pro mercede tristissimam orbitatem invenit. Hinc justæ in Acoeram querelæ, quem veteribus adductum odijs ad talem ipsi inferendam calumniam defendit. Nempe crederet Populus, tam vecordem, tam oblitum sui fuisse Iphicratem, ut totius exercitus Imperator electus proderet hosti patriam, nisi maledicta Acoetes fereret, & suis in Iphicratem convicijs populi furias stimulasset?

Exin approbare vobis nîsus est facti sui consilium, & occultam fugam laudi atque solertiæ vertere. Erat in eo statu civitas, dixit Iphicrates, ut nisi fraus dolûsque virtuti misceretur, populi salus videretur conclamata. Quanti porro intererat totum hoc, quod meditabatur, arcanum tegine, si patuisset semel; & vincendi perderet opportunitatem, & se suosque cives gravissimum in discrimen adduceret.

Mox exhibuit pater miseræ sobolis innocentiam, cujus haberi rationem decuisset, vel si prodita patriæ movisset ipse suspicionem. Nam, cur inquit, Liberi expertes paterni criminis pœnam luan? Quàm durum est suavissimo vitæ solatio patrem privari, dum suis civibus suæ ipsius vitæ periculo salutem & incolumitatem redimit. Vidistis lachrymas, audivistis gemitus, quibus deploravit orbitatem. Non putat sanari posse plagam, quam amissa soboles intulit, nisi par Acoetæ

G 3

sobo-

soboles idem supplicium luat. Orat proinde, ut Acoetæ tres filij filiorum suorum Manibus immolentur. Legis adjicit auctoritatem, quæ pœnam injustam inferentibus parem pœnam rependit.

Neque verò sobolis in periculo segnis Acoetes aut indiseruus fuit. Credit eodem jure eximendos supplicio Liberos suos, vel si nocent ipse extitisset, quo volebat Iphicrates suis condonari, si patriam hosti prodidisset. Imò, Acoetes adjicit; cur Liberos, quos alienos à paterno scelere, si quod est, Iphicrates non negat, quos neque insidiarum arguit, neque odiorum incusat, neque illatæ accusationis reos criminatur, cur, inquam, Liberos meos neci postulet Iphicrates, qui suis vel nocentibus, propter ætatis imbecillitatem atque inconsiderantiam indulgeri veniam oportere censuisset? Injusta ergo videri debet postulatio Iphicratis, iniquus dolor, qui nisi innocentum cæde potest mitigari.

At Acoetes ipse, Judices, quanquam ultrò morti se devovet, patrocinio non caruit. Non illum, si defensori credimus, vel veteres inimicitia, vel nocendi voluntas, cujus nullum in accusatione vestigium est, sed unum Reipublicæ studium impulit, ut, quod pertinere ad communem salutem videbat, statim admoneret. Nam cur fugæ suæ neminem participem fecit Iphicrates? non erat quisquam in tam numerosâ civitate, cujus fidei consilium illud crederetur potius, quam in tantâ rerum perturbatione proditionis suspicionem, credulæ, ut plurimum, ac meticulosæ plebi relinqueret? Sin tamen Acoetes puniendus videretur, qui nec deterritus potentiorum metu, nec
Iphi-

Iphicratis auctoritate, tantum Reipublicæ studium præ se tulisset; quis subire deinceps vellet tanto suo periculo damnosam accusandi aleam? quis ignobilis ac pauper nobilium ac divitum flagitia arguere sustineret? Vim autem legis, quam extulit Iphicrates, sic adversarius elusit, ut cum latam in eos diceret, qui nocendi animo ad accusandum accedunt, facile Acoetem absolveret, à quo tantam abfuisse voluntatis perversitatem demonstraret.

Expensis triplicis causæ, quam exposui, rationibus, expectatis, Judices, ipse quid sentiam; paucis declarabo. Est hæc fatalis quædam rerum humanarum conditio, ut, cum in usu vitæ quotidiano multa contra spem ac voluntatem contingere soleant; neque præcavere singula, neque omnibus mederi incommodis accurata quantumvis diligentia posse videatur. Atque ut ab accersitis longius testimonijs abtineam, quam multiplex in hac, quam agimus, causâ rerum insolentium, quam improvisa varietas se se obijcit! Utinam, Iphicrate, consilij tui ratio nobis patuisset, utinam licuisset præsentire facinoris genus illud, quod tacitus meditabâre! Equidem laudare satis non possumus incredibilem illam animi tui constantiam, quâ rem tam arduam, tam plenam periculis suscepisti. Admiramur singulare illud patriæ studium, quod te in inveniendo sagacem, in promovendo prudentem, in exequendo felicem effecit. At in tanto rerum tumultu, qui repentino discessu tuo invalescebat, quis fervidum naturâ suâ & impotentem animi populum coerceret, aut prævideret etiam, quod erat acturus? Non erat is Acoetæ animus, dum Senatum fugæ suæ admonuit, ut quidquam inde Liberi tui pateren-

tere-

terentur. Erat succurrendum in commodo, quod absentia tua pepererat. Fecit vir bonus, quod tu ipse iisdem rerum in articulis, pro tua in patriam studio, fecisses. Totum hoc fortis iniquæ fuit, quidquid in sobolem tuam peccatum est; neque tam tibi nocuit illa, quam nobis, dum spem Reipublicæ latissimam eripuit. Enimverò, Iudices, quantum crescebant civitatis hujus in decus Adolescentes illi, quibus fortissimus pater quotidiana virtutum exempla sufficeret, qui facinorosi hodierni spectatores didicissent, quo patriam loco optimus quisque civis habere debeat! Gratulare tibi, Iphicrate, quod dolorem tuum Respublica doleat, ut suum, & suam tecum queratur orbiterem. Quanquam, Iudices, aliud expectat à nobis Iphicrates præmium; aliam parta per ipsum civitati tranquillitas mercedem vindicat. Neque verò minùs esse nos liberales in remunerando decet, quàm ille fortis in vincendo fuit.

Nihil moræ est; opta tibi, Iphicrate, quod voles. Opes, gratiam, munera, & si quid est aliud virtute tuâ dignius postula. At patere unum hoc vicissim Respublica te roget benevolentiaë monumentum, ut veteres oblitus iras quidquid hucusque rixarum fuit, obliterari sinas. Noli funestare diem hunc tibi tam gloriosum, patriæ tam utilem, feris nepotibus tam prædicandum. Quos tibi repetis ad necem, non sustineret humanitas tua immolari. Illos reputasti insontes, dum filios ipse tuos ab omni injuriâ vindicabas, vel si nocens videri potuisses. Habes in Acoete, quem non credimus ullo nocendi studio ad aperiendum, quod noverat, accessisse, habes, inquam, in Acoete devotentem ultrò se tibi victimam.

Satis

Satis tibi sit jacuisse victum hostem, ut omnis pugna finem habeat.

Itaque, Judices, ut alamus in unoquoque cive de patriâ bene merendi studium, sic statuo, tam Acoetes ipse, quàm ejusdem Liberi pœnâ eximantur. Erigatur Liberis Iphicratis insigne monumentum, quod devotas publicæ salutis victimas apud posteros commendet. Ipse Iphicrates stet æneus in foro, & fusus in auro hujus urbis præses Genius Iphicrati gratulabundus accedat, & meritorum caput coronet. Denique ne iniquiore animo orbitatem serat Iphicrates; eligat sibi unum aliquem è tribus Acoetæ Liberis, quem adoptet. Ac, ne plebeius homo cum sit, illustrem in familiam dedecus intulisse videatur, hunc Respublica adoptet ipsa prius, & quibuscumque nobilitatis insignibus illustret.



HERO.

HERODES
 FILIORUM APUD
 AUGUSTUM CÆSAREM
 ACCUSATOR.
 CAUSA SEXTA.

In genere Judiciali.

ARGUMENTUM.

Aquileiam Herodes cum venisset, & exorasset ab Augusto Casare, ut suas adversum duos e Liberis suis querelas vellet cognoscere; adductos coram Juvenes violatæ majestatis pariter ac pietatis, tentatiquè veneficiz accusavit. Sed cum rem totam calumniis subnixam, & Regem ipsum culpâ non carere Augustus intellexisset; animadvertissetque non eos tantum, qui judicio aderant, sed & Accusatorem Liberorum defensione ac lachrymis commoveri;

*moveri; difficilem, pro suâ prudentiâ,
ita diremit controversiam: Objurgatâ
Juvenum imprudentiâ, qui parenti
dedissent suspicionum occasionem, He-
rodem rogavit, ut suspicari desineret,
& compositis utrinque simulatibus,
Liberis reconciliaretur.*

ACTORES.

AUGUSTUS Cæsar.

HERODES Judææ Rex.

ALEXANDER,

ARISTOBULUS,

} Filij Herodis.

HERODIS

In Filios suos Oratio.

Vides, Auguste Cæsar, Regem infortunatum,
miseriorem patrem; cui regnum illud, quo
fruitur beneficio tuo, nec dignitatem ac
gloriam contulit, nec dulce parentis nomen, quod
fors impertijt, affert solatium. Adsum paratus
ultrò deponere, quod cæteri cupidius ambiunt;
venio funestissima quæque precaturus illis, quos
vel ipso capitis discrimine tueri voluissem. Quo
quid durius Regi? quid patri calamitosum ma-
gis?

Tamen

Tamen quid agam, Cæsar, his circumventus æmulis, qui nec regem, nec patrem esse patiuntur? Quæ ipse demum adversus ingratos jacet perduelles Liberos, quod mihi præsidium superest; nisi apud te Cæsar, qui in tantâ universi orbis mole, quam unus sustines, nihil arbitraris tantum, quàm opitalari miseris, & afflictos consolari?

Equidem filii jam diu tanti sceleris conscius, & naturæ reclamantis, pœnâsque deprecantis vocem patiens audiebam. Siluisse etiamnum hodie, & oblitus ultro, quodcumque dolebam æquus, veteres injurias condonâssem, nisi summum nequitie gradum attingissent Juvenum impiorum rebellio atque perversitas, & omnes paternæ charitatis sensus obmutescere cœgissent.

Igitur miserare, Cæsar, luctuosam infortunati Principis conditionem; nihil te pigeat in partem mei doloris venire, & graves ærumnas, quas patior, pro tuâ humanitate mitigare. Quamquam ut mei me pudet, coram invictissimo Principe ac confertissimo tot illustrium virorum cœtu ingratam accusatoris personam sustinere! ut refugit animus ab ijs reprehendendis, quos mihi natura, pietas, ratio tam arcto necessitudinis vinculo conjunxerunt. Verùm nisi postulem quamprimum judiciorum tuorum æquitatem, nisi severitatem legum contra filios degeneres petam adhiberi, aut Herodi misero cedendum è vivis, aut gravior ipsâ morte vita in omne tempus sustinenda. Itaque patere, Cæsar, poni ante oculos tuos defolatae familiæ dedecus, & turpem mei sanguinis ignominiam palàm revelari.

Nihil est tam debitum parentibus, nihil, quod
illi

illi tam legitimo jure sibi vindicent tanquam suum, quàm ut eos, quos genuerunt, & acceptæ lucis non immemores, & collocati apud eosdem beneficij non ingratos experiantur. Nam quis hoc leve nobis invidet laborum nostrorum solatium? quis debitam institutæ liberaliter juventutis mercedem abnuendam putet? Nemo non maledicat sterili semper & infructuosæ terræ, quæ spes ferentis arantisque frustrata, nihil præter infelices carduos ac spinas reddiderit. Et iniquo ferendos animo filios quis non arbitrabitur, qui rusticitate indolis, & morum asperitate parentis vota expectationemque fefellerint.

Quanquam incusem ego memet ipse, & meo me dolore dignum ultrò reputem, si piam in me parentis sollicitudinem Liberi desiderent. Sed agite, vos ipsos testes appello, Filij degeneres, patrem arguite, per me licet, si quid parvum unquam paternæ charitati doluistis; si quid vobis à me defuit, vel divitiarum ad copiam, vel honorum ad ambitionem, vel strenui laboris ad utriusque felicitatem ex omni parte cumulandam. Quò poterat altiùs aspirare utriusque æmulatio, quàm ut alteri sororis meæ, alteri Regis Archelai filia in uxorem contingeret?

Quid alia persequar operosius meæ erga vos liberalitatis, benevolentia, humanitatis, indulgentiæ monumenta? Noveram præferocem amborum indolem, asperos rigidòsque mores, animum intractabilem. An offensus ego sum? an habui vos duriùs? an parentis auctoritas æquitatis cancellos aut mansuetudinis fines excessit? Imò, quid tentatum à me non fuit, ut demererer vos mihi, ut inescarem blanditijs, ut beneficijs demulcerem?

H

Quid

Quid inexpertum reliqui infelix, quo mitigari posset ac placari innata utrique feritas? Tamen quid egi? quid promovi? quem fructum fero tot laborum? quod mihi præmium impensum tam liberaliter amoris repensum est? Alienavi duros ac feroces animos, non cicuravi; stimulaui invidiam, non placavi; inflammavi furorem, non restinxi. Pro solatio dolorem, contumeliam pro beneficiâ, pro amore odium acerbissimum sum expertus.

Piget dicere, Auguste Cæsar, quàm ingratis, quàm plenam curis gravibus, quàm intolerabilem ex omni parte vitam Liberi perduelles patri reddiderint. Hæccine vita est, cum cupidis rituum, & contentionum amanibus habere societatem? in eorum esse contubernio, quibus nihil in oculis nisi torvum, nihil in verbis nisi procax, nihil in totâ agendi ratione nisi præposterum & amarum sit? qui Regis majestatem, auctoritatem patris aspernamdam arbitrentur? apud quos consilia, præces, monita, objurgationes, minæ nullum pondus, nullam fidem inveniant? quorum ingenium ita sit ad perversitatem pronum, ita pertinax, nihil ut tam ambient, quàm displicere, nihil tam vereri, quàm placere, videantur.

Quamquam dissimulandum id fortè, durum quantumvis & asperum studiosus & amans judicet pater, si privatus foret hic dolor, & publicæ tranquillitati nihil officeret. Verùm nec tacitas esse inimicitias suas patiuntur filij degeneres, nec habent satis odisse patrem ac persequi, nisi eodem populis sensus atque animos inspirent. Non stetit per eos, Cæsar, quin perturbatam ubique regni pacem ac quietem lugeremus: adeò nihil

præ-

prætermiserunt illi, quod vocare patrem in invidiam posset, & graves in totâ Judæâ tumultus ac turbas suscitare. Solicitata palàm & apertè populorum fides, tentatæ largitionibus provinciæ, dissipati rumores mali, qui regnantis nomen ac famam violarent: injecti graves metus, qui perstantes in obsequio provocarent ad rebellionem. Tædet nimirum ambitiosos Juvenes regnare tandiu ærumnosum patrem, & queruntur tempus illud esse longius, quod regnandi cupiditatem moratur.

Hinc minùs miram videbitur, quod adjiciam Cæsar, tam oblitos fuisse sui, tam exuisse utrumque naturæ sensus omnes, ut parentis vitæ insidias struerent, & quem spoliare regno non poterant, nisi adimerent ei vitam, eundem de medio tollere cogitarent. Exhorrescis, Cæsar, ad tam immane facinus, nectantam cadere posse in Liberos meos crudelitatem putas, ut moliri simile quidpiam præsumperiat. Nec ipse minùs oblitus Rex & pater; nec agrè minùs adducebar, ut crederem, parricidas genuisse me Liberos; tam videbar mihi nihil commississe, propter quod tam impios experirer. Utinam aperire possim motus varios, quibus distractus contrarias in partes animus adversùm vanos metus, & injurias, ut rebar, suspiciones diu multùmque luctatus est. Incusavi me non semel, qui præbuissem aures accusantibus: arguebam piam eorum sollicitudinem, qui referebant vera, despiciebam varios rumores, qui juvenum famam perstringerent: neque tam verebar subire capitis periculum, quàm filios Parricidij reos suspicari. At patuerunt tandem doli, resectæ fraudes, nefaria conjurationis impiæ Congilia in apertum prodierunt. Felix Herodes & in

suâ calamitate fortunatus, qui fidos magis & amantiores sui domesticos, quàm filios habuerit !

Poteram ulcisci statim manifestum scelus poteram, oppressis nefandæ machinationis auctoribus, ablegare longiùs sollicitudinem omnem ac metum, & quod humanæ divinæque leges plebendi facinoris jus permitterent, id mihi Rex & Pater vindicare. Abstini tamen, Cæsar, & nimiam vel credulitatis, vel sævitiam veritus suspensionem, malui tuum ad Tribunal perduelles filios judicari. Tuum est, Auguste Princeps, pro æquitate tuâ impensius consulere, ne perfidis juvenibus impune sit, perturbâsse Regis ac patris tranquillitatem ; & ejusdem regno ac vitæ infidias posuisse. Agitur publicæ utilitatis ratio, securitas Principum, parentum salus ; quibus si non liceat tutos esse à Liberos infidijs, perpetuo in metu vivendum sit, & quotidianum ab uno quoque capitis discrimen subeundum.

ALEXANDER

Filius Herodis natu Major.

Quàm luctuoso infortunatorum Liberos fato fieri dicam, Auguste Cæsar, ut cum de nocte sorte possimus queri multò æquiùs, quàm parenti exposulare de suâ liceat ; nobis tamen in presententi rerum nostrarum discrimine positus, nec loquendi, nec silenti libera facultas relicta sit. Enimverò, si tacemus, illatæ accusationis rei debimur, dignique supplicij omnibus, quæ perfidiæ ac parricidij crimen meruit ; si loquimur & innocentiam nostram conscij inustam labem delinimus,

luimus, id facere non possumus, quin turpem aut malevolentiam, aut nimiam credulitatis notam patri accersamus. Igitur quid agam? quid consilij capiam? Infelices nos, quibus innocentes esse non prodest! Infeliciores quibus purgare inflatum scelus non datur, nisi sceleris alterius probrum incurramus.

Tamen jubes nos loqui, Cæsar, nec æquitas putas tuam, reos indictam causam damnare. Utinam perorare apud te sic possim, ut, quæcumque pro nostra defensione dicturus sum, ea nec displiceant patri, nec ullam criminis suspicionem nobis adhaerescere patiantur.

Non sumus nos, Auguste Cæsar, tam parum memores paternæ charitatis, ut, quæ commemoravit parens optimus collata in utrumque beneficia, ea vel inficiari, vel elevare verbis meditmur. Fatemur ultrò nihil paritum fuisse piæ ipsius in ambos sollicitudini, dignos ut se filios institueret, & tam studiosos haberet æmulatores virtutis suæ, quam cupidum ipsi & amantem sobolis patrem pensassent. Imò vicit expectationem nostram parentis optimi benignitas, & impensius affatim amor meriti rationem omnem votorumque modum excessit. Atque utinam grati animi memoriam liceret vel sanguine ipso consignare! intelligeret parens, quam procul absit à Liberis suspicio mala, nedum accusationis probum infligeret.

Nam cur accusamur ab ipso tam acerbè? vel quid miseri commisimus, propter quod accusationis invidiam pateremur? scilicet dociles minus ac minus obsequentes extitimus? hoc enim

primum objecit pater, primum hoc criminationis caput fuit. Verum ecquando, vel quibus deum in rebus videri potuimus rebelles ac contumaces? Quam durum est, Cæsar, declinari nobis non posse sceleris ejusmodi suspicionem, nisi cum aliquo dispendio paternæ sinceritatis & æquitatis! Est enim hoc accusationis genus, ut stare non possit, nisi pater negatum sibi fuisse probet obsequium; nisi rem, tempus & locum, in quibus agnovit contumaciam, designarit. Ecquod porro, Auguste Cæsar, dum rebellionis crimen exprobraret acerbius, vel violati imperij, vel contemptæ majestatis, vel legis usquam infractæ deprehendisti vestigium? An æquum est censerî nos rebellionis reos, ubi neque dictum, neque factum quidquam affertur, quod vel ipsam rebellionis umbram præ se ferat?

Sed parentis vitæ ac moribus obrectavimus? Hoc alterum criminis caput, quod infert parens, grave penitus, & quavis penâ expiandum, si tam certò revinci possit, quam facile jactatur! Quanquam affirmat pater, & rem competentam probè defendit. Reverendum quidem nobis patris testimonium, fateor, neque temere inficiandum. Tamen an non ponit illud creditus plus æquo pater, & falsis circumveniri rumoribus? Nosti, Cæsar, quam multis Principum virorum aula obnoxia sit hominibus malevolis, qui vel corrupti largitionibus, vel spe ineundæ gratiæ, vel ipso nocendi studio impulsî iniquos passim sermones ferunt, & obvias aures maledictis implent atque onerant; quos tacitus livor urget, & æmulatio prava stimulat; quibus hoc uno nomine inavisa solet esse probitas atque innocentia, quòd nullum habent ipsi cum probitate atque in-

nocen-

nocentiâ commercium. Quàm miserum est cum
 ejusmodi ingenijs conflictari, quibus nec placere
 sine crimine, nec sine periculo displicere possis!
 Atque utinam, Cæsar patris ab aulâ genus istud
 hominum procul exulâset! non hodie vel muta-
 tum doleremus ipsius animum, vel duram pur-
 gandæ criminationis necessitatem sustineremus.

Venio ad aliud accusationis genus, cui tri-
 stis amborum indoles, aut etiam morosa, si cre-
 ditur, patri locum dedit. Tuam fidem appello,
 Cæsar; ex quo veritur crimini, quod naturæ
 vitium est, non voluntatis? Sed esto: volunta-
 rius sit ille mœror qui patrem offendit: an cul-
 pandus continuè, quem jussit pietas, elicit na-
 tura, amantissimæ parentis orbitas procreavit?
 Ergo sublata luctuoso fato matrem optimam
 pijs prosequi lachrymis non licebat; dum erep-
 tam sibi Reginam mœreret populus, affligeretur
 aula, universi regni ordines extinctam quererentur?
 dum parens ipse conversis in melius animis
 nocentem absolveret, desideraret amissam, &
 quovis pretio redonari vitæ voluisset?

Tamen damnetur tam justus filiorum dolor
 pariter & amor, plectatur etiam pœnis graviori-
 bus, si modum excessit, si erupit in querelas, si
 probris non pepercit, si peractæ cædis auctores
 aut incusavit, aut damnavit. Piget, Anguste Cæsar,
 hæc operosius confutare, quæ probari nequeant,
 nec, si probentur, rationem criminis habere
 possint.

Restat ultimum, idémque gravissimum accu-
 sationis caput, quod ab affectato regno paratis-
 que parentis vitæ insidijs jactatum est: cujus su-

suspicio vel levis si cadere in nos possit, hoc uno satis nocentes nomine, frustra cæteris in criminibus diluendis felices fortunatique videamur. Nam quis hoc sustineat, fuisse Liberos tam degeneres, ut parentis vitæ, vel regno funestum moliri quidpiam præsumperint? Id ipsum verò quanto tetrius ac crudelius est, tanto miseres nos puta, Auguste Cæsar, quibus in amovendâ tam horribili criminatione laborandum sit. Tamen in istâ rerum nostrarum conditione miserabili, recreat nos hæc conscientia non mediocriter, quod æquissimum eundemque perspicacissimum Iudicem habeamus, apud quem non inveniant fidem maledicta ejusmodi, nisi certis argumentis atque testimonijs revincantur.

Ergo proferantur argumenta insidiarum; adducantur testes vel participes nefandæ conjurationis; prodeant designati cruentæ cædis artifices ac ministri; recitentur literæ; appellentur solliciti ad defectionem populi; probentur habita de flagitio tam immani cum externis colloquia; adsint quotquot sunt fidei atque innocentiae obrectatores, & palàm arguere non dubitent, quos clam incusare non erubuerunt. Vides, Auguste Cæsar, quàm parùm reformident judiciorum aleam, quos nulla sceleris conscientia stimulat ac remordet.

Sed frustra provocantur à nobis instructæ fraudis architecti. Timidum est naturâ suâ genus istud hominum, lucem refugit, & accommodatas machinandis dolis tenebras multò lubentius sectatur. Quanquam ô structam malè calumniæ nequioris fabricam! Egregiam enim verò regni capeffendi viam, quod parricidio partum videri possit! scilicet æquis ferrent animis populi sibi par-

parricidas imperare? non exturbarent folio, quos maculatos paterno sanguine conspicerent? parcerent Liberosum vitæ, qui paternam tollere non pertinuissent? sed quid populos moror? Tu, Cæsar, tutor ac vindex æquitatis, videres lentus ac segnis Liberos parentis cæde contumpratos? Non vindicares illatam verendæ majestati injuriam? non adesses ultor tam detestabilis facinoris? non evocares reos tuum ad tribunal? non exterminares duo naturæ monstra ac portenta? nobis regnare, aut etiam vivere, Cæsare incolumi, liceret?

Tamen si tam inconsultos nos credis, ut hanc moliri ad regnum viam cogitaverimus; si tam malos, ut tinctum patrio sanguine solum placere potuerit; dicta causa est, Cæsar: plecte fontes, ut merentur, & quovis supplicio perime. Sin utrumque pro tuâ perspicaciâ & æquitate tam injustâ suspicione eximis; oramus atque obtestamur, ut hunc errorem pariter ex animo parentis evellas; ut eundem Liberos placare ac reconciliare non graveris; quo offenso vel irato, nec regnum expetendum, nec ipsa tolerabilis vita videri possit.

ARISTOBULUS

Filius Herodis natu minor.

Vocâsti nos Cæsaris ad tribunal, Pater clementissime, accusâsti apud eundem læsæ majestatis, ac pietatis violatæ reos. Expectas ut communem in causam dicam aliquid, & quam frater non frustra implorâsse visus est optimi Principis æquitatem, hanc ipse pari studio interpellare ag-

H 5

gre-

grediar. Mihi certè quanquam nihil esset ambiendum magis, quam apud eum iudicem dicere, quem nemo sceleris purus atq; integer tutorem ac patronum non sensit, cuius in retegendis simulationum involucris perspicaciam nemo non expertus est; tamen ignosces, uti confido, Cæsar; si nullum optem alium ab ipso patre hodiernæ contentions arbitrum, nullius iudicio malim, quàm ipsius sententijs absolvi.

Nam quem in tanto rerum nostrarum discrimine confidentiùs ad eam, quàm te, Pater, qui amantissimum te nostri exhibes, dum utrumque acriùs insectaris? qui injurias de nobis suspiciones cupis deponere, dum easdem confirmare vehementiùs affectas? Nempe, quibus parcitum voluisti, cum perdere nos potuisses, fontes unquam credideris? aut statueris Liberis carere, quos ad Cæsar's tribunal adduxisti? Quantò æquius putem, quæsito longiùs iudicio, nihil te ambiisse aliud, nisi ut apertæ defensionis liberio rem locum sufficeres; & quod præstare per te unum satis commodè non poteras, id per alium efficacius perficeres. Consuluit parens optimus Liberorum famæ, & quos omni suspitione sceleris eximere cogitabat, eos voluit publicâ & inficiandâ nemini sententiâ insontes pronunciarî. Quos unus absolvisset pater, non purgasset penitus illatæ accusationis opprobrio; & ipse veritus, ne paterna charitas illusisse iudicem videretur, mahit apud alienum tribunal, quos innocentes noverat, ab omni culpâ vindicare.

Nam quid aliud de te sentire nos deceat?
Tu Liberos crederes eò venisse feritatis & amentitiæ, ut parentis vel regno, vel vitæ insidiarentur? Tibi vel levis tam detestandi parricidii suspicio

spicio incidisset? illos censes tuo procreatos ex sanguine, quos vel ipsa tanti sceleris umbra non perculisset? filios Herodes agnosceret, qui parricidæ nomen ac sensus non exhorruissent? Genuisset ille sui tam dissimiles, tam alienos à moribus, tam aversos ab indole educasset? Non credis, Pater; aliud cogitas; aliud dedimus obsequij, reverentiæ & amoris specimen. Sed quid ego hæc? quid immoror in amovenda illius flagitij labe, cui ratio, natura, sanguis reclamant? Consule te metipsam potius, ni grave est, Pater; scrutare sensus intimos, secretissimas expende cogitationes, indolem, mores, vitam ipse tuam attende; atque hinc conjice, qualem de Liberis sententiam feras. Rarum est, & monstro simile quidpiam, ut inertes fortibus, justis scelesti, parricidæ pietatis amantibus ortum debeant.

Tamen nisi Liberos sceleris expertes credis, nisi parricidij labem inficiantibus fidem habes, nisi suscipis ipse eorum defensionem atque patrocinium, quos iniqua criminantium malevolentia premit, ac funestat; age, quid moraris? quin damnas reos, qui tibi innocentes videri non possunt? Nihil est, quod alienum quæras arbitrum ac judicem. Nequeunt apud aliud quodvis tribunal absolvi, quos apud te damnaveris: hoc ipso innocentes satis ambo videbimur, si nostram tibi approbare innocentiam non coniungat. Plecte ergo utrumque pro arbitrio, Pater: sume pœnas à nobis, quas voles, si flexi non placet: statue supplicij genus quantumvis durum & asperum: nihil deprecamur, nihil querimus, non provocamus alium ad judicem, neque tam miserum censemus mori, si placari Pater aliâ ratione non valeat.

Quam-

Quamquam quid loquor, aut me quis metus, & iniquus error illudit? Ignosce parens optime, si tam præpostera de te suspicio incidit. Ignoravi parentis animum, quem Liberis implacibilem crediderim. Aliud sentire de te nos jubes: vultus ille tuus, qui jam mutari nobis in melius incipit, oculi illi, quibus utrumque benignius respicis, & qui erumpentes lachrymas vix retinent, diffidentiam nostram arguunt, & novam fiduciam inspirant. Non tibi liberum est, iratus quantumvis videri velis, ut tuam in filios charitatem longius dissimules. En amor sopitus malè renascitur, & impatiens se prodit. Patere causam ut agat paternus ille amor apud te nostram; id exoret ipse melius, quod oratio nostra, quod sinceri gemitus, quod assequi lachrymæ non præsumant. Sit ille nobis unus instar omnium patronus; si modo faciles aures oranti commodabis, discutiet brevi quascunque suspicionum umbeculas, quas iniquior aura contraxit; tempestates abiget, & pristinam mentis sinceritatem meliore fato revocabit. Persuadebit ille, quàm frustra metuendum tibi putes ab ijs, quibus Parentis securitas pretio quolibet sit potior; qui salutem tuam atque incolumitatem suo ipsorum sanguine bene redemptam arbitrentur.

Sic erit, pater amantissime; & quam tu cumque in Liberos sententiam feras, quidquid statuere de nobis placuerit, nunquam ab amando patre temperabimus. Auferre nobis vitam quis potest, amorem nullus unquam auferet. Vivet ille superstes extinctis corporibus, ac si viventibus benevolentiam patris, mereri non possit, desiderium ejusdem sepultis vindicabit.

AU.

AUGUSTUS CÆSAR.

Magnum est illud, quod infertur hodie vobis accusationis genus, Adolescentes charissimi. Quantum est enim Regis ac patris violasse Majestatem! Eiusdem regnum, vitamque attentasse, quanto quid majus debet videri! Utrumque si tam verum evincitur facinus, quam jactatur constanter, quæ possit esse tanto crimini pœna par; vel quem detrectent illi supplicij gradum, qui tale flagitium admiserint?

Ego certè, qui postolor in hac causa Judex æquitatis, & læsæ Majestatis pariter, ac pietatis vindex interpellor, quo debeo esse in ambos animo? quis patrocínio aut etiam misericordiæ locus relinquatur? Equidem vestra hæc ætas, nobilitas generis, indoles utriusque, quam suspicor bonam, & vestro dignam sanguine, totum me vobis vindicant; & defensoris partes tueri suadent, non judicis.

At qui possum, quantumvis ambiam indulgere propensissimæ meæ in utrumque voluntati, nisi accusationis illatæ probrum, ac dedecus penitus eluitis; nisi vestram mihi, usque omnibus quotquot hîc adsunt, innocentiam approbatis? Idipsum verò neuter sic assecutus dicendo videatur sibi, suspicionem omnem ut amoverit. Non est in promptu declinare accusationis odium, dum accusatoris invidiam Rex non refugit, dum personam eandem pater, reclamante naturâ, non invitus sustinet. Nempe Regem arguere falsi quis audeat? Quis insitam parentum animis charitatem desideret in patre?

Utinam enim verò descendisset huc accusator aliquis, & reverendus minùs & minùs arcto sanguinis vinculo vobis conjunctus, cujus suspicari fidem liceat; in quo nocendi animum fas sit incusare! Quàm libenter accusationis vim ac momentum in accusantis malevolentiam derivarem! Verùm quos nocentes profiteretur Rex & pater, quis eosdem liberet suspicione criminis; quis patrocinari miseris velit, quibus sublata ratio salutis omnis ac conclamata videri possit?

Tamen dissimulare non velim, charissimi juvenes, quod sensi, dum suam uterque vestrum causam ageret; neque offendetur, uti confido, vel regis, vel parentis animus, si profitear palàm, quod ipse iratus licet & implacatus ultor visus est pariter persentire. Placuit in vobis nativa quædam, expersque fuci simplicitas, & ingenuus in dicendo candor, qui fraudis malæ partus esse non potest. Spirabat oratio vestra, nescio quid, quod latentes abstrusi cordis sinus recluderet; erat modestus in vultu pudor, quem conscia mens non admittat in societatem. Vidi profluentes ubertim lachrymas, quas amor eliciebat, non extorquebat metus. Interim mirabar ego tacitus, quo pacto nocentes essent illi, qui toti ad innocentiam compositi viderentur. Nam etsi personata plerumque incedit improbitas, & ad æmulandam virtutis imaginem est ingeniosa magis, quàm par esset; tamen frons, oculi, supercilium, vultus denique totus mentis sermo quidam tacitus, ac fidus interpretis haberi solet, qui fallit rarò, nec in errorem inducit. Nescit fallacia veritatis personam longùm tueri; se prodit ipsa, & vel invitis ac repugnantibus obmurmurat.

Quisquis

Quisquis malus est, sentit conscientiae stimulos, qui reum arguunt; reformidat aspectum iudicis, non constat sibi, dicendo perturbatur, & frustra confidentiam affectat, quam non habet. Id porro, quod mihi non est integrum non profiteri vestram in gratiam, nolite sic gratulari vobis, Adolescentes, quasi haec oratio mea vos absolueret. Culpam vacare Liberi non possunt, quos reprehendit pater; & hoc nocentes satis debent videri, qui patris ad tribunal damnantur. Hoc natura, hoc ratio, hoc divinae leges humanaeque postulant, ita Liberos vivere, ut suspitionis vel umbram parentibus adimant. Sanctum est scilicet parentis nomen, nec sine gravi Liberorum flagitio offensionem patitur. Ergo noxam quis vos eximat, qui patri exostulandi de vobis occasionem dederitis?

Unum restat jam vobis in parentis clementiam praesidium, Adolescentes optimi. Illius est reos absolvere, qui sumendi poenas jus habet. Ego, quod facere possum, & quod ultrò volensque praestandum mihi vindico, viam sterno vobis ad parentis gratiam, &, quam indulgisse me non pigeret, veniam vobis deprecator accedo. Neque verò preces meas Herodes frustrabitur, aut quem suscitavit ipse, fiduciam illudet. Non is est, mihi credite, qui exorari non velit, & injurias veteres non condonet lubentius, quam vindictam exigit. Imò nihil cupidius ambiat pater optimus, quam ut persuadere sibi possit, infantes esse, quos nocentes putabat; &, qui nihil dolebat gravius, quam indignos se Liberos genuisse, patrocinantem vobis naturam multò aequius audiet, quam iniquis de utroque rumoribus credidit.

Sensu

Senſi enim verò totum parentis animum, dum ſuam ambo communi ſtudio cauſam dicerent; non temperavit ſibi, quin commoveretur filiorum ad vocem: adgemit inuicem gementibus, ſuamque in ipſo vultu perturbationem prodidit. Vidi & teſtes amoris non inſiciandos fletus uberes, qui vel invito erumperent; juberentque iudicem deponere, ut indueret patrem. Ponite in lucro tam feliciter affectam parentis optimi voluntatem, Juvenes chariſſimi; procumbite ſuppliciter ad pedes, amica preſtate genua, & quam doletis tam graviter amiſſiſſe gratiam, certate pietate veſtrâ promereri... *....

Quàm angurabar verè, Adoleſcentes optimi, non agrè inſeſtendum patrem, vobis ut ignoſceret, & offenſionis cauſas omnes obliterari pateretur. Felices ambo tam facilem, tam benevolam naſti Regem & patrem! Felicior parens, qui depositis deinceps ſimulatibus, Liberorum in fide & amore tuto conquieſcat! feliciffimum meme tam operoſæ contentionis iudicem & arbitrum, cui diſſidentium litem componere ex voto licuit! Plaudite mihi, vobis que Adoleſcentes optimi, fovete omni ope atque officio reſtitutam in inclyta, piâque domo concordiam ac pacem, & receptam demum tam fortunato exitu parentis benevolentiam conſpirantibus ſtudijs atque animis retinere.

NE

* Hic dum procumbunt ambo parentis ad pedes, Hærodes filium utrumque amplectitur, ipſiſque reconciliatur.



N E M O
SORTE SUA CON-
TENTUS.

CAUSA SEPTIMA.
In genere Deliberativo.

A R G U M E N T U M.

Civis quidam moriens unum è Consanguineis quatuor diversum vivendi genus secutis heredem instituerat, qui infelicissimus omnium judicaretur. Hinc orta inter consanguineos de agenda hereditate controversia.

A C T O R E S.

POLEMON, Miles.

EUPOLUS, Mercator.

PRODICUS, Causidicus.

PHILOMATHUS, Puer Grammaticus.

DICASTUS, Causæ cognitor & Judex.

!

POLE.

POLEMON, Miles.

ITa sum ad hoc ætatis & naturâ & arte institutus, Judices, ut nihil unquam præclarior existimaverim, quàm pro patria & publica utilitate duos quosque labores, vel cum vitæ periculo tolerare, Arma, sudorem, pulverem supellectili, munditijs & convivijs semper antehabui. Non venio fortis asperitatem deprecaturus; non militiam gravem conqueror aut infructuosam. Paucis in diem assibus animam, & corpus æstimari, levia sunt hæc patriam amanti. Vulnura, dura hyems, exercitæ æstates, bellum atrox, aut pax sterilis, desidiâ & otio molliore mihi jucundiora semper fuerunt; neque hæc operosius commemoranda jam arbitrarer, aut pro innumeris laboribus ac ærumnis mercedem ullam à vobis postularem, nisi debitam mihi, & eo tantum nomine adeundam hæreditatem consanguinei mei dene-garent.

Utinam, Judices, opes illæ, de quibus cessandis inter nos hodie certatur, rei bene ac feliciter pro patriâ vel gestæ, vel gerendæ præmium proponerentur! Haberm in recta factorum conscientia, & vestris omnium de me judicijs certam & inficiendam nemini hæreditatis repetendæ rationem; aut, si deesse nobis quidpiam ad veram germanamque laudem videri posset, mercedem illam novo jure novaque gloriâ, & meipsum & patriam celebrando promererer. Hostem ferire, agitare præsidia, nihil metuere præter turpem famam; humi quiescere, eodem tempore & inopiam, & laborem perferre à pueritia edoctus sum, & patiens operis ac disciplinæ animus, eo deinceps generosius raperetur ad ea, quæ magna sunt quod

quod inmitia quæque toleravit. Quæ cæteri
formidare solent, ijs adeundis ac sustinendis af-
suevimus. Nihil nobis videtur arduum, quibus
sæpe necessitas in loco, spes in virtute, salus in
victoriâ fuit. At quoniam consanguineo nostro
morienti fuit is animus, ut bonorum suorum hæ-
redem institueret eum, qui in eo, quod secutus
esset, vivendi genere, infelicissimus omnium ju-
dicaretur; liceat mihi, Judices, hodie primùm,
gravem militiam queri, & quas amore laudis, cha-
ritate patriæ, vestræ salutis studio contemnen-
das putavi, conditionis nostræ calamitates &
ærumnas in apertum proferre.

Agite, quæ vita illa est, quam ducimus infor-
tunati Milites, si tamen appellanda vita est illa,
quæ letho propior, quàm vitæ, continuos mor-
tis metus adjunctos habet? Quanquam mori non
usque aded miserum est, at mortem ipsam vita gra-
vior, quæ tam luctuosis casibus referta sit. Quot
terrâ marique subeunda nobis pericula? Inter
hostes, pugnas, strages, incendia, cædes, & per-
petuam cruentæ mortis imaginem versamur. In-
terim victus tenuis, vestitus asper, rarus somnus,
frequentes vigiliæ, humi cubitus. Jam belli quis
tandem fructus est? Hic tibi turpatas cicatrici-
bus genas offert, iste truncatas nares, ille effossos
oculos, alter amputata brachia, alter contractis
vel etiam excisis pedibus, vestigijs incedit non
suis. Hi sunt militares ludi, hæc laboris mer-
ces, hoc impensi sanguinis præmium miseris re-
penditur.

Quod si nostrum quibusdam iniqua Martis
alea pepercerit; si tot laboribus ac periculis su-
perstitis beata pacis tempora nacti fuerint; quie-
te illi

te illi quidem fruuntur, sed illâ tam inope, tam molestâ, ut pacis gaudia corrumpat. Novum quippe bellandi genus offertur, in quo arma nostra inutilia sunt, adversus famem, quæ acrius, quàm hostis, urget, quæ haurit vitalia, præcordia carpit, artus depascitur, condit oculos, vocem elidit, animum peredit ipsum & extinguit. Quàm durum est, Judices, quotidie mortem optare, & vitam rogare! precariam certè vitam vivimus inter creditores, qui nobis instant, carcerem minantur, beneficia exprobrant, eò magis metuendi, quòd nihil metuant præsidio legum armati: qui solvi armorum metu milites despicunt, quos sæviente bello venerabantur: qui mutato tempore mutati pariter lacescunt jurgijs, & contumelijs onerant, quos supplicibus votis ac precibus paulò antè prosequabantur. Sic prostratis fugatisque patriæ hostibus, hostes patriam nutrit, quorum tantò intolerabilior inimicitia, quantum minùs ad eam demulcendam præsidij relinquitur.

Scilicet æs alienum contraximus: hoc bellum usus consumpsit; & quod temporis necessitas obtulerat, id avaritia reposcit implacata semper & inexorabilis. Hinc aspera nobis cuncta, Judices domi inopia, foris æs alienum. Nihil præter miseram animam reliqui habemus, sine gratiâ, sine auctoritate ijs obnoxij, quibus, si valeret hostis formidini essemus. Quòd si melioris fortunæ spes affulgeat, quæ levare arumnas nostras, & miseras consolari posse videatur, adversos experimur ipsos contanguineos, quos non tam rerum suarum necessitas, quàm habendi cupiditas insatiata extimulat; qui dediscere videntur conditio-

ditionis suæ commoda, ut miseros se fingant & infortunatos.

Nam quid Mercaturæ incommoda nobis ostendat confanguineus ille noster tranquillitatis & abundantia suæ fastidiosus? Obscuriorem vitam degit: at securam & quæstuosam. Austrum metu commissas pelago merces jactantem: at procellis luctantibus navis erepta breves molestias consolatur. Illa vim maris aut prædonum furorem experta spes lætissimas interdum frustratur. At hæc orientis onusta spolijs & patrijs finibus reddita feliciter jacturam levem abundè compensat. Non ille certè pulveris unquam patiens atque solis, sed in umbrâ atque in otio, domesticos intra penates placidissimum ævum exigit.

Et ille, credo, strepitum fori, litigantium tricæ, & suam in cognoscendis aut agendis causis assiduitatem jactabit, hominum, si Superis placet, infortunatissimus. At quanti est, Judices, tutorem legum ac defensorem audire? esse unum aliquem ex beatis illis hominibus, quorum ex arbitrio controversiæ civium dirimantur; qui de capite fortunisque Procerum Ipsorum summo jure pronuncient, quorum patrocinium nemo non ambiat, favorem & gratiam non aucupetur, benevolentiam quovis pretio redimendam non puret?

Parco, Judices, operosius dicere de puero, cujus hæc summa felicitas, ut nec miseriam sentire possit, nullâ spe, nullo timore, perturbatus. Exulant ab hac ætate sollicitudines, curæ, anxietates. Securi omnes, quanti cæteros homines cupiditatum æstus exagitant, hoc pueri provident

unum, ut ætatis flore, dum licet, perfruantur. Inspecite, quæso quemvis ex illis, quidquam videretur in fronte, in oculis, in vultu, quod mororem sapiat, aut potius incredibilem quandam animi lætitiã ac tranquillitatem non spiret? Sed quid ego vos moror? Date mihi quemquam tam florentem, tam beatum, tam rebus gestis vel honorum gradu præstantem, qui suam cum hac ætate sortem commutare non velit.

Audistis, Iudices, quæ mea fuerit vita, cui requies in labore fuit, in miserã curisque solatium. Nunc attendite, quæ mea in his rerum adiunctis conditio sit; cuius ingravescens jam ætas & omni præsidio destituta, in unã modicæ hereditatis expectatione conquiescat. Nolite, quæso, Iudices, defraudare me subsidio tam levi; neque committite, ut, quod mihi cumque lucis exigendum superest, id vulnere vestro maturius, quam suo fato extingatur. Innumeris pro patriã defunctus laboribus ac periculis, penes vos erit, Iudices, ut, aut ingratam vitam deseram, aut quod exigendum vitæ superest, antea acti temporis molestias quoquomodo consoletur.

EUPOLUS,

Mercator.

Si mentiras falsasque fortis suæ molestias fictã & inutili querimoniã persequi satis habuisset, injustus Polemon, neque nostros omnium labores ac duram præsertim Mercatorum conditionem despexisset, tulisset æquius, Iudices, & de Militiã vel iniquius expostulantem sustinuissem. Verum quis ferat insultantem alienæ calamitati
quis

quis unicum miseræ nostræ solatium, justos legi-
timosque gemitus invideri nobis patiatur ?

Sed age porrò, quid quereris ? quid luges ?
quid desideras ? quid tibi tam durum, tam acer-
bum, tam luctuosum Militia contulit ? Hominem
inspicite, Judices, & à capite ad calcem diligenter
considerate. Video nitidas ac florentes genas,
tensam probè & succo pinguiore refertam cutem;
quam nec solis æstus, nec pulvis decolor obscu-
ravit. Nulla cicatrix in vultu, quæ decorem
frontis, vel oris speciem & elegantiam deturpet :
nihil vel recisum in brachijs vel offensum objici-
tur. Canora vox, latera firma, robustæ vires ac
vegetæ nondum infractam laboribus bellicis va-
letudinem arguant. Stat corpus bellè suis pedi-
bus, nisi fortè sub crassiori mole identidem fati-
scent. Hincine belli fructus, quos tam miseros
depingis ? Tam sanos remittit Militia, tam vivi-
dos, tam valentes ?

Quamquam demus hoc tibi : molestias habeat
suas isthæc armorum conditio, quam profiteris :
patiat inter dum nonnihil difficultatis, dum fer-
vet bellum acrius, & metuendus hostis imminet.
At itane despicienda merces illa est, quam milites
ferunt, rei fortiter gestæ gloria ? Parùmne labo-
res quoscumque consolantur fusi hostes, defensa
patriæ libertas, parta victoriarum monumenta ?
Vel si qua nonnunquam ferre vulnera contige-
rit, quis vel hoc pretio bene redemptam nomi-
nis immortalitatem non putet ?

Nobis verò miseris Mercatoribus, Judices,
nihil objicitur ejusmodi, quod dolores nostros
māiget, aut in rerum nostrarum angustijs sola-

tio fit. Nam cum vitam ducimus asperam prorsus & acerbam, tum eandem obscuram & ignobilem, quod ne inficiari quidem miles visus est, toleramus. Neque verò levissimas inter nostræ fortis miseras numerandum illud accedit, quod Mercatorum impensis & sumptibus belluli isti homines ac polituli se se efferunt insolentiùs, & plumis ornati non suis oculos inani fuce perfringunt. Nempe, quod stultè comparimus defraudantes genium, illi absument impunè. Nobis interim solvenda versura est, & dum creditores urgent iniquiùs, vasa nobis quamprimum non sine gravi vel vitæ, vel saltem famæ periculo colligenda.

Jam in Mercaturâ faciendâ, quis esse pacis modus ac quietis possit? quod tempus anxietate vacuum ac miseriarum expers liceat expectare? si belli metus ingruat, si fervere cœperit armorum furor, quanto rerum nostrarum in periculo versamur! Quis opes fortunâsque nostras, qualescumque sunt, salvas præstet & incolumes, cum illæ vulgò positæ reperiantur hostium in manibus, qui communibus diffidijs rem in tuam abutuntur? Mox intercludi commeatus, turbari commercium, infesta piratis ac prædonibus fieri maria, nec libera deinceps mutandarum mercium facultas superesse. Tum demum actum est de nobis, frigesimus, lucrum omne cessat, & cum lucro vita. Atque utinam præterita bellorum calamitas minus id liquidò docuisset. Huc hodie res nostra redijt, ut, aut nihil vendere, aut nullo pretio, aut, quod pejus est, dubiâ incertâque emptorum fide necesse sit.

Sed ipsum pacis tempus, quis credat, non
magis

magis commodum aut opportunum nobis videri? Sic est, Judices, pax illa tam amica cæteris, omnibus tam expetenda nihil admodum juvat Mercatorem; aut, si quid fortè conferre videatur, solitudinem certè atque anxietatem nunquam adimit: dum merces nostræ, si quæ sunt, vota, spes, vita ipsa fragili è tabulâ ventorûmque ludibrio dependent. Tamen hæc una vitandæ paupertatis ratio, ut infesta procellis ac tempestatibus maria perpetuò decurramus; ut neque frigoris asperitate, neque æstatis ardoribus retardemur, ut continuis jactati periculorum casibus omnes ponti cælique minas sustineamus.

Saltem si tot inter labores, quibus defungimur spes aliqua gloriæ miseris affulgeret! si summâ rerum nostrarum in angustiâ stimulus laudis aliquis subjiceretur! si dum obluctamur ventis ac tempestatibus sempiternæ famæ memoria jacentes suscitaret! Nam quis nesciat, quales accendat animos ad magna quæque cogitatio posteritatis, & consecrandi venturas in ætates nominis expectatio. Pulchrum est enimverò insudare laboribus, dum merces tam gloriosa proponitur; dulce est sanguinis pretio nominis sui immortalitatem promereri. Brevis est ille vitæ quantumvis operosæ vel diurnæ cursus, quam amplissimum virtutis præmium gloria sempiterna compensat.

Verùm hoc ipso carere solatio nos oportet. Nulla spes gloriæ, nulla parandi nominis expectatio labores nostros reficit ac mitigat. Post exhaustos graves terrâ marique periculorum casus, morimur denique, vel absumpti naufragio, vel alienis in oris ignobiles; aut si fatis cedere

patrio in solo contigerit, sic tabernæ vilis in umbrâ consenesimus, ut, qui corpus obruit tumulus, idem nomen obruisse meritò nuncupetur.

Cujus est porrò nostris mederi incommodis, Judices, nisi has sibi partes æquitas vestra atque humanitas vindicet? Vestris hodie recumbit in manibus tota Mercatorum infelicitum fiducia. Si non inutiles penitus Reipublicæ ad hanc usque diem extitimus; si labores aliquando pro cõmuni causâ susceptos comprobâstis, date hoc vel leve vestri in nos animi monimentum, ut conditionis nostræ acerbiter pariter atque obscuritatem quoquo modo compeusetis. Sua Militem gloria, Causidicum dignitas, Puerum ipsa calamitatis omnis expers ætas abundè consolantur. Nos ejusmodi præsidij destituti infortunati Mercatores, aliquod saltem in sanctâ vestrorum judiciorum æquitate solatium habeamus.

PRODICUS,

Causidicus.

Cùm multa sunt, quæ singularem mihi in hodiernâ contentione securitatem atque fiduciam afferunt, tum illud certè me recreat imprimis, quòd tot defensores causæ meæ, quot sum natus Judices, mihi jure gratulari possim. Nam cùm nemo sit vestrum, Judices integerrimi, qui propriâ compertum experientiâ non habeat, quantis hæc vita, quam in foro irahimus, ærumnis obnoxia sit; quis erit è vobis, qui occupandam uno miseriarum atque calamitatum nomine hæreditatem mihi denegandam arbitretur? Nihil esset ultra, quod adderem; jam dicta causa videri posset.

posset, nisi fecissent fucum aliquem adornatis ad pompam magis, quàm ad veritatem complorationibus illi sodales mei, & ad retundendam, subdolæ orationis malignitatem, vestra me auctoritas juberet perorare.

Dicam igitur, Judices, quod sentio non tam ad revincendam causæ meæ æquitatem, quæ perspecta jam esse debuit, quàm ad revellenda præjudicia, quæ futilis consobrinorum meorum oratio afferre potuisset. Desudârunt illi quidem plurimum, varias ut conditionis illius, quam amplexi sunt, molestias exhiberent, & quod mirum quibusdam videbitur, non fuit tam indiferta perorantium in suâ causâ facundia, quàm expectari debuisset ab ijs, qui Literas nihil admodum attigerunt.

Ego certè, Judices parùm æquus rerum æstimator audiam, si velim nihil esse penitus, quod exoptulent; aut si sortem ullam putem, præter unam pueritiam, esse, quæ nullis omnino difficultatibus consistetur. Sit ita sanè: laboriosa sit militia, dum arma fervent, dum laceffendus, aut sustinendus hostis est: habeant & Mercatores sortem quòd incusent suam, dum amissæ naufragio merces, aut fides emptorum mala fortunæ melioris expectationem fefellerunt. Tamen nec labores illi continui, nec illa pericula passim obnoxia sunt.

Non est Militis tam misera conditio, ut vel in castris semper, vel inter pugnas ac cædes perpetuò versetur. Post belli fragores ac tumultus, veniunt tandem amicæ pacis tempora, quibus laboris expertes omnis nec sine præmio Milites liberi dimittuntur, & natalc revisunt solum eò majori

jori

jori suorum gaudio, quo diutiùs abfuisse videantur. Teitem unum te volo, consobrine amantissime, quid est iam, quòd militiam incuses, aut de sorte tuâ conqueraris? Vivis in medio patriæ sinu, inter propinquos ac familiares tuos versaris. Non jam obstrepunt litui, aut dat buccina signum ad pugnam; non conferendæ manus cum hoste, non ejiciendus vallo, aut persequendus acriter incumbit. Non capiendæ urbes, non expugnanda castra, non dubius armorum casus pertimescendus objicitur. Positus extra omnem Martis aleam palmarum in umbrâ requiescis suaviter, & labores, si quos exantlare contigit, blando in otio abundè compensas.

Nec Mercatoris fors gravior, Judices, quantumvis illi conquerantur. Neque enim infesta scopulis ac tempestatibus maria perpetuò decurrit, aut tanto semper Orientis opes pretio redimuntur. Non omnes, quæ de portu solvunt naves triste patiuntur naufragium; redeunt illæ, ut plurimam, onustæ mercibus, ipsamque adeo Mercatoris avidi vincunt expectationem. Plaudit ille sibi, grates agit Superis, & priores, si quas fecerit, jacturas oblitus exultat ac triumphat.

At quàm dispar rerum nostrarum conditio, Judices, quibus nullum in vitâ tempus molestiâ atque solitudine vacuum Superi esse voluerunt. Nam sive versamur in foro, seu manere domi contingat, quanta utrinque laboris atque ægritudinis seges occurrit! Agite enimverò, an durius quidquam est, quàm nostra illa quotidiana in foro assiduitas, quæ homines totos sibi deposcit? quid molestius, quàm obtundi litigantium clamoribus, impeti calumniis, maledictis provocari, neque

que ullius unquam posse mereri gratiam, quin alterius invidiam atque malevolentiam incurras?

Saltem si qua pax domi & tranquillitas labores fori exciperet; si pars quietis ulla posset expectari! Verum quantam illic rerum molem offendimus! Plena litigantium aula te reducem opperitur, quos vix missos feceris, cum pulsantur fores ab aliis; quibus de jure suo consulentibus nisi respondeas, aut injustus, aut deses, aut imperitus habeare. Interim abit de die quodcumque supererat, & nox succedit non laboriosa minus ac molesta, quam in rimandis, excutiendis, volutandis ad nauseam atque fastidium tricarum ambagibus traducere infomnem oporteat. Nam congestis undique fassis obruimur, non illis profecto, quibus beatulus ille quondam indormiebat inhians; sed talibus, quos nec fures eripiant, nec compilent servi, nec hæredes invideant. Quis porro tot laborum fructus est? quam mercedem vigiliarum nostrarum ferimus? hoc enim ad cæteras miseras accedit, quod vel nullum, vel exiguum contritæ in alienis rebus, & quæ nihil ad nos pertinent, vitæ emolumentum capiamus.

At enim, inquiunt, itane vili reponendum in loco, quod amplissimo defungimur magistratu, quod monstramur digito prætereuntium, quod de fortunis ac de capite civium pronunciamus. Et hoc ipsum, Judices, quod existimationem habet aliquam, in vulgus, nôstis, quanto oneri nostro atque incommodo vertatur. Nempe, dum tuemur inter concives nostros auctoritatem, dum convenientem dignitati gravitatem affectamus, interim nec relaxare animum, nec genio indulgere,

gere,

gere, nec capere oblectationem ullam licet. Ludo, jocis, festivioribus hominum societatibus excludimur: turpe ducimus vel semel in anno ridere & jocari; adeo majestas ipsa muneris, quod exercemus, miseris nocet, & ineluctabilem severioris & morosioris vitæ necessitatem imponit!

Quid superest, **Judices**, integerrimi, nisi ut molestias nostras, dum licet, levetis ex parte, & laboriosæ conditionis acerbiteriam aliquo solatio mitigetis. Prosit nobis saltem hodie, quod hominum infortunatissimi & nuncupamur & sumus. Intelligant illi, quorum gratiâ id oneris suscepimus, quàm sit arduum ac difficile defungi Magistratu. Noverint omnes, quantum debeant assidue eorum laboribus, qui publicæ utilitatis causâ provinciam ejusmodi sustinere non gravantur.

PHILOMATHUS,

Puer Grammaticus.

Si quid fucatis & adornatis ad pompam Consobrinorum meorum orationibus creditur, **Judices** integerrimi; nihil est, quod ego infelix puer perorare pro me ipso aggrediar: dicta causa est; mortalium illi, quotquot sunt infortunatissimi censentur, neque me spes ulla capiundæ hæreditatis deinceps respicit. At quoniam mihi rem esse certò scio cum ijs iudicibus, quorum nec sagacitati imponitur, nec illuditur æquitati, qui ratione sui muneris nostram hanc ætatem in suo patrocínio ac clientelâ positam tueri debeant, id ausum mihi polliceri, non tam fecisse vobis fucum

fucum adversarios meos mentitis suis complorationibus ac querelis, quin & me vicissim, quæ vestra est humanitas, benignè audiatis.

Ac primùm quidem liceat mihi, æquissimi Judices, requirere Consobrinorum meorum aut memoriam, aut sinceritatem, dum quasi pro jure suo sibi vindicant, ætatem hanc nostram ab omni prorsus molestiâ esse alienam; memoriam dico, Judices, si labores, quos olim exantlarunt ipsi, jam oblitum sunt, sinceritatem, si memores etiamnum durioris illius disciplinæ, quam experimur, dissimulare pertinaciter obstinant. O si jus haberent suffragij & calculi facultatem, quotquot hinc adesse video laborum nostrorum socios & ærumnarum participes carissimos condiscipulos! ô si eorum ex arbitrio contentionis hodiernæ gravitas decideretur! quotus tandem esset, quem mihi causæ meæ suffragatorem non pollicerer! qui rerum nostrarum angustias expertus fortè plus æquo, non fateretur, inter cæteras vitæ hujus condiciones adolescentiam esse omnium calamitosissimam? Quanquam quid alios rerum mearum defensores ambiam? Ignoscite, Judices integerrimi, si diffidere videar æquitati vestræ, vel etiam humanitati. Nam ubi tandem causa nostra feliciter conquiescat, quàm apud eos, quibus nec sagacitas ad pervidendum, nec ad deliberandum æquitas, nec constantia ad judicandum unquam defuere.

His ego fretus, Judices, dicam non minùs confidenter quàm verè, quod sentio; exponam breviter ac sine fuce, quàm duram in hoc studiorum curriculo exerceamus artem. Habeant sanè Consanguinei mei, de conditione quisque suâ quod
expo.

expostulent. Tamen illa, quæ non bene auro pro toto libertas venditur, illis integra remanet, nobis eripitur; Tibi, Polemon, bellum displicet tibi, Eupole, commercium oneri est? te verò, Prodice, fori cæperunt fastidia? Eja, mutatis discedite partibus, aut omninò abstinete ab ea arte, quam profitemini. Quid in mora est? ecce viam vobis ad felicitatem aperui certissimam: licet omnibus ac singulis beatis esse: nobis jugum excutere, cui subjicimur, non licet. Ah! video oblii estis, aut potius dissimulatis malitiosè, quanti sit oneris alieno semper arbitrio vivere, nunquam suo!

Etenim ita vivimus, ut campanula vigilandi, dormiendi, edendi, jejunandi, laborandi, feriandi magistra sit. Gaudes stertere multam in diem hesternò fessus labore? Ecce importunus ante solis ortum sonus è stratis exturbat. Dormire non juvat? Datum est signum ad quietem, decumbendum est. Fames urget: hora non insonuit, servanda jejunia. Non esuris? cœnæ tempus est, truderis ad mensam vel invitus. Feriari velles? invitat tranquillæ lucis amœnitas? urget importunus monitor ad studium. Ludere in præsentia non amas? aër pluvius est: nihil agis; dies est dicta Ludo, necesse est, ut vel cum fastidio ludas.

Quamquam toleranda hæc quidem vel duravis, si nulla gravior adhiberetur; at cæteris in rebus vim iniquam quis ferat? O si ferendam, quotquot estis vos, Judices, austeri silentij necessitatem haberetis! ô si diebus singulis multas per horas numerosissimo, suavissimoque in confessu ne proferre verbulum; quid dico? si nec
mussitare

missitare etiam, si nec contorquere quidem huc
& illuc oculos liceret!

Jam durum est habere quempiam, cui obtemperes? Quid habere multos ejusmodi? quid obvios quosque tot nancisci censores rigidissimos, tot severos Judices, tot obrectatores miseræ juventutis? Hilarus es, comis, festivus, ut fert ætatis nostræ conditio? invenias, qui te levem, turbidum, etiam amentem dicat. Gravitatem quandam affectas præter ætatem? morosus, difficilis, obscurus haberis. Garris ingeniosè, suaviter arrides, comiter blandiris? callidus contumè, versipellis, astutus audies. Simplicior contra, urbanitates ejusmodi non sectaris? vix ac ne vix quidem vitabis arrogantiae nomen. Corporis cultum paulum negligis? sordidus es, impexus, obsoletus. Capillos identidem in cirros agis, & cyprio conspergis pulvere? politulum clamant, & in curandâ cute mollem ac delicatum. Quid facias? hoc est miseræ adolescentiæ fatum, ut seniorum cavillationibus obnoxia sit.

Mitto jam varias tempestates ac procellas, tot syrtes ac scopulos, tot fortunæ resstantis ictus, sine quibus tam longæ navigationis cursus non perficitur. Ecquis porrò tam felix, quis tot inter pericula tam industrius, ut navigiolum, quod singuli deducimus, non allidat vadis identidem, & triste aliquando naufragium non patiat? Scilicet per varios casus, per tot discrimina rerum tendimus in Latium, sedes ubi nunquam quietas liceat experiri.

Quid dicam de ipso otio, quod ætati nostræ non tam ad gratiam, quàm ad necessitatem concessum

cessum est? Ut parcè illud & avarè nobis impenditur! Ipsum verò ut difficili plenum labore, ut amarà sollicitudine trajetum, ut luctu nonnumquam perturbatum ducimus! Quis cavendum sibi perpetuò non habet à speculatoribus oculis? quis tollere vocem sine periculo, quis rixari etiam amicè cum socijs impunè confidat? Ludimus enim verò? at quæ conditio vitæ tam misera, quæ ludo vacet omni? Ludimus? Interim quanta nos laboris seges expectat? Nam & hoc iniquum ferimus, quòd nunquam penitus feriari liceat; sed tantò gravior oneris moles soleat imponi, quantò longioris pars otij irrogata videatur.

Quid restat igitur, Iudices, nisi ut æquitatem vestram obtester? Et quoniam nullum est aliud, quod polliceri mihi possim, nisi ab humanitate vestrà præsidium; ita me, precor, vestram in fidem & clientelam accipite vos, ut causæ meæ non tam Iudices, quàm defensores experiar. Non huc attuli vobis, vel petitam longiùs, vel solertiùs adornatam, vel mentitam fucò, vel cerusà medicatam; sed simplicem, sed nativam, sed destitutam ab arte, uno verbo, qualem ætas nostra ferbat, orationem. Si tam descriptam ad vivum miseræ juventuti sortem exhibuit, si nuda veritas in ingenuo illo, neglectòque cultu potuit placere; confirmate, Iudices, suffragijs vestris tam legitimam de nobis opinionem; &, quam immeritò consanguinei mei sibi vindicant, hæreditatem, hanc mihi dulcissimum fortis nostræ solatium ad judicate.

DICASTUS *Judex.*

Non est hæc vel nova, vel insolita, vel parvorum

corum querela, Judices, ut in ea, quam seu ratio dederit, seu fors objecerit, vitæ conditione, miseros se & infortunatos clamitent. Nam quotusquisque hominum extitit, quem beatum vixisse sorte suâ reperias, & qui decurso vivendi spatio, de vita, tanquam de lauto convivio satur demigrârit? Porrò quàm frequenter vitio suo fiat, id verè bona pars hominum ut exposculet, vel si vivere contentos contigerit, quàm nequiter dissimulent, non est hîc locus, Judices, vel persequendi operosius, vel acerbius increpandi.

At qui suam modò sortem incusârunt tam graviter; quocumque tandem pacto id fecerint, excusatione saltem aliquâ non vacant; quibus tam ampla calamitatis illius suæ, quàm vel fingerent, vel revera paterentur, merces proposita sit. Audivistis, Judices, quid pro se quisque invicem dixerit; quàm nativis vividisque coloribus conditionis suæ miseras, vel veras, vel falsas adumbrârunt. Nemo eorum unus non disertus, non eloquens in propria causa visus est. Aded vel indisertum quemque necessitas erudit, & rudibus etiam atque imperitis spes lucri facundiam inspirat!

Nam quis expectâisset à milite, ut varios militiæ labores, casus, pericula, tam bellè, tam solerter, tam graphicè describeret? Subjecit enim verò vestris oculis perpetuam, quam ferre cogere, inter hostes, pugnas, strages, incendia, cædes, mortis imaginem. Non siluit, ut victus tenuis, vestitus asper, rarus somnus, frequentes vigiliæ, humi cubitus ferendus incumberet. Jam belli fructus miseros repræsentavit ad vivum: ut hic turpatas cicatricibus genas monstraret, iste

truncatas nares, ille effossos oculos, alter amputata brachia, alter contractis, aut etiam excisis pedibus, vestigijs incederet non suis. Accersit ad hæc rei domesticæ penuria, æris alieni gravitas, importuna creditorum molestia, & quid non?

Neque verò minùs graviter, nec minùs ingeniosè perorare visus est, qui proximas tenuit in dicendo partes, ut ipsius oratio non tam elaborata in mercatoris taberna, quàm in schola Rhetorum dicenda sit. Quas enim mercaturæ molestias non questus est? conditionis suæ obscuritatem, solitudinem continuam, commercij difficultates, maris pericula, naufragiorum acerbiter, debitorum injustitiam, & paria, cum bello, tum pace incommoda diligenter percensuit; ipsa, quod multò magis mirum est, dicentis actio, vis, robur, dignitas admirationem peperit, ac plausum.

Quod ad Causidicum attinet, Judices, nihil est tam insolens, si proprijs in rebus tam disertus actor extiterit, qui in alienis solet tam facundus videri; si causam bonam feliciter pertractarit, qui vel malam agere non infeliciter potuisset. Habet enim verò ars illa, quam nos profitemur, incommoda non pauca, quæ non levem querelarum segerem sufficiant. Postulat à nobis muneris illius, quo desungimur, ratio singularem in foro assiduitatem, indefessam domi diligentiam, patientiam in audiendis clientibus incredibilem, severam in tuendâ gravitate constantiam, quæ cum omnia diligenter Orator exposuit, tum non mediocrem ad persuadendum, quod volebat, vim habuisse visus est.

Verùm

Verùm ex quo, Iudices, pueros nacti sumus
tam ingeniosos, tam solertes, tam facundos?
Ut acutè garrivit Philomathus! ut egit comiter!
ut accommodatè ad persuadendum peroravit!
Quàm nativè contexit totam quotidianæ vitæ fe-
riem! quanto narravit cum lepore, quidquid fe-
rendum durius, aut gravius metuendum incum-
beret! Nulla, si quid ipsi credimus, servitus vide-
ri debet acerbior eâ, quam pueri patiuntur. A-
lieno vivere semper arbitrio, multorum repre-
hensionum esse perpetuò obnoxium; eos subire ca-
sus identidem, qui constantem etiam virum metu
percellant. Hæc sunt, quæ tam copiosè disseruit,
ut tantum non persuaderet, esse conditionem suam
omnium miseriam.

Quæ cum ita sint, Iudices, nihilque ad co-
gnoscentas penitus singulorum causas requiri pos-
se videatur, restat, ut feratis sententiam, &, ad-
judicatâ alicui ex omnibus hæreditate, multitudi-
nem infelicitum hominum uno saltem capite mi-
nuatis. Mihi porrò, Iudices, quoniam illa lex
imponitur, ut aperiâ primus, quid sentiam: sic
exultino, vix solvi posse contentionis hodiernæ
difficultatem, quamdiu in pensandis, quas quis-
que patitur, molestijs versabimur.

Sunt enim ejusmodi varia cujusque fortis in-
commoda, ut facillè æstimari non valeant, nisi ab
ijs, qui eadem aliquando senserint. Nam quis tam
novit alieni mali pondus, quàm ille, cui feren-
dum illud ipsum incumbit? Igitur aliam ingredior
dirimendæ controversiæ rationem, quam, si vobis
ita videbitur, suffragio vestro probabitur.

Est hoc mortalis vitæ fatum, Iudices, ut quo-
cumque

cumque fueris in statu positus, gravissimis incommodis subjaceas, quorum finis expectari nullus debeat, nisi qui vitam ipsam clauferit. Hinc illum ego reputo omnium longè miserrimum, cui longissimus vitæ cursus sustinendus sit; quid enim iuvat annorum accessio, Iudices, nisi misérias multiplicat? aut quis diuturniorem cæteris sibi vitam audeat polliceri, nisi se ad graviolem molestiarum cumulum perferendum accingat?

Næ tui miseret me plurimum, infelix puer, qui primo in limine vitæ positus, immensum quoddam vitæ spatium respicias! Felices consanguinei, qui medio jam in cursu propioribus oculis metam intuentur; & ad eandem assequendam singulari alacritate festinant. Pergite porrò, ut cœpistis, ac si quid ultra laboris vobis exhauriendum superest, nolite deficere animis; *ô passi gratiora, dabit Deus his quoque finem!*

At nos, Iudices, consolemur, quantum erit in nobis, infortunati pueri angustias, sustineamus ætatis teneræ imbecillitatem, & par viæ longiori viaticum sufficiamus. Nolite dubitare, quin Testatoris ea mens fuerit, ut Puerum hæredem institueret, cum miserrimo Consanguineorum suorum capeffendam hæreditatem reliquit. At maluit ille æquitati vestræ disceptandum id permittere, quod, si statuisset ipse, & imminuisset morientis desiderium, & inexhaustam odiorum rixarumq; inter Consanguineos segetem peperisset. Quare censeo, Iudices, Puerò tanquam omnium miserrimo hæreditatem esse adjudicandam. Vos, æquissimi Iudices, sententiam meam vestro calculo confirmate.

UTRA



UTRA PRÆFERENDA
SIT
STATURA MAGNA,

AN
PARVA?

CAUSA OCTAVA.

In genere Deliberativo.

ARGUMENTUM.

*Megalosomum inter & Micromorphum ,
hunc statura brevioris hominem, illum
excelsâ mole præstantem virum orta
contentio est , Uter utri corporis sta-
tus præferendus videretur. Quâ in
re cùm neuter alteri cederet , causa ad
Judices defertur.*

K 4 ACTO.

ACTORES

MEGALOSOMUS,

MICROMORPHUS,

MESOCALLUS Judex,

MICROMORPHUS,

QUam aggredior hodie pusillæ staturæ Apologiam, causæ, quæ mihi cum multis communis est, æquitati ne noceat, quod sit mea, Judices consultissimi. Declinate à me parvisper oculos; rem ipsam justis rationum momentis expendite. Nam quis ferat pusillos homines, naturæ compendium nunquam admirabilioris, quàm cum in exiguo collecta est, perpetuis infanorum jocos ac cavillationibus impeti; nullum esse frigidorum dictorum modum, quocumque pusilli prodeunt, insurgere continuo inficetos homines, quibus si molem ademeris, ademeris omnia; quos meritò compares immanibus illis arboribus, quæ nihil ferunt hominibus utile; & ipsam luxuriantium ramorum altitudinem ad hoc efferunt, ut, superveniente tempestate, tristem ruinam patiantur, ventis luctantibus, aut Jovis fulmini ludibrium.

Ita planè, Judices, habet parva statura, unde vel contemnat proceram, vel eidem certè non invidet. Sic enim contendo, pusillos homines duplici plerumque laude præstare grandioribus. Si spectes animum, ingeniosiores sunt; si corpus attendas, sunt fortiores. Quæ duo dum ostendo breviter, intelligo sanè, & intelligunt
omnes

omnes, qui me nōrunt, non meam, sed multorum, qui huic iudicio interfunt, causam defendere.

Ac primò quidem, quis palmam ingenij, & dotes omnes, ingenij appendices, pusillis hominibus non concedat? Respicite, amabo vos, ad ipsam corporis conformationem. Crederes voluisse naturam parcitatem materiæ, ut sic loquar, felice ingenij venâ compensare. Virtus, ut ajunt, unita fortior; eadem per immensam molem diffusa emoritur propemodum, & vix ullum sui vestigium foras prodire patitur. Quis nescit vim ignis ex ardenti fornace prorumpentis, aut è tormento bellico mille evomentis neces? unde autem tanta utrique efficacia, nisi quia utrobique ignis stipatus & compressus in angustiore loco, nihil deperdit insitæ virtutis, sed actuosam, quâ pollet, vim totam exerit.

Non aliter ignei spiritus, qui motus illos celeres efficiunt, unde effervescit ingenium, si latiore in corpore habitent, segniores habent impetus, & in ipsâ domicilij sui vastitate consopuntur. Sed quid rationibus opus est, ubi loquitur experientia? Quoties enim vero videre vobis licuit, Iudices, homines illos, seu potius colasos, in quibus nulla erat mica salis, homines obesâ nare, segnes, testudineos, plumbeos? Conferre hos stipites cum Pygmæis illis, ut vocant, nanis, pumilionibus, & si quod præterea nomen in nostrum contemptum invenerunt; statuite utrosque in circulis; illis hæret aqua ubique; hi vel in sicco reperiunt, unde bibant ad ebrietatem; illi nihil argutum, nihil ingeniosè, aut feliciter inventum afferunt; hi jocos innocuis cætus exhilarant;

K 5

hau-

hauriunt in divite ingenij sinu, unde locupletent egenos; salit ubique ingenij fons, condiunt, profunduntque omnia exquisito facetiarum lepore, In illis colossis deficit animus longiore tanquam itinere fatiscens; in nobis nullo negotio à capite ad calces permeat, diffunditque spiritus sui vicarios, qui nusquam sinunt materiam, si qua in nobis est, pigro situ torpescere. Parcite vos, penes quos educantur pueri, parcite motibus infitis, qui foras erumpunt; non se teneri patiuntur. Non vos equidem dixerim inimicos ingeniorum, quorum natura constat ex motu; sed parcite multare naturam, cui vos ipsi tantum debetis; meminertis vos ipsos, si quid à vobis olim pueris peccatum est, simili motu peccavisse.

Natura ubique sui similis, Judices, ut in hominibus, sic in belluis quoque, parvæ moli favens, majora miracula gaudet exhibere. Quid dicam de Formicis, de Apiculis, quarum labor admirationi est omnibus? quid de Simijs, quos, si solertiam attenderis, minùs distare dixeris ab homine, quàm nonnulli, qui humanam speciem gerunt ab ipsis discrepant. Jam inter volucres, Philomelæ, Psittaci quid non habent? illæ ad concentus suavitatem, voluptatémque aurium, hi ad imitandas hominum voces, garrindámque eo modo, quo multæ mulieres non meliùs? Adeste, qui stupetis magnitudinem, prædicate, & si Superis placet, jactate famosum auriculis Arcadiæ pecus. Dicam paucis, & dicenti, credo, assentientur quotquot erunt cordati viri. Efferant magnitudinem suam, per me licet, Gigantes spectaculo nati; quibus hoc unum concessit natura, ut insolenti proceritate teneant populorum multitudinem, mulierculas & pueros terreant: nos ingenio contenti,
asper-

aspernabimur clamores eorum, qui pergunt deinceps illudere parvæ staturæ, quam tanto fœnore eadem natura compensavit. Quæ cum ita sint, superest, Auditores, ut ad ingenij laudem accedat etiam in Pusillis hominibus laus fortitudinis, quæ pars est Orationis altera, quam breviter concludo, si favere pergitis.

Fortitudinem cum appello, Judices, intelligo virtutem animi magis quam corporis, contentam illam non immanitate membrorum, sed firmâ organorum conformatione, robore nervorum, atque inprimis calore quodam acriore, qui spirituum ultrò citròque comitantium proprius est. Age verò; ubi isthæc omnia reperias? an in laxâ & diffusâ partium compage, quæ vel non accipit spirituum copiam, vel acceptos finit effluere? an in mole contractiore quidem, sed suis ritè organis affectâ, cujus spatium breve, non tamen iniquum, faveat celeri commercio spirituum, qui simul ubique adsint, foveant organa, nervos alant, toti denique corpori masculinum robur addant & semper novum. Vestram fidem, Auditores, quid non expectandum ab homine sic informato, dum vasta illa corpora nihil afferunt ad tolerandos labores, præter molem egenam virtutis, suo ipsius pondere fatiscentem. Ut in illo scintillant oculi, & corda quatit vigor entheus! ut contra in alijs languent intermortua lumina, & cor anhelum virtus deficit! In illo spirat fortitudo; in his segnities & ignavia: ille convalescit præsentis periculo; hi pallefcunt: ille occasione datâ superat expectationem sui; his virtus garrula in ventos abit.

Sed verba damus, inquiet adversarius; placet

cer

cet igitur verba rebus confirmare, vel potius rationes exemplis. Cui non auditum de Alexandro illo Macedone, cui orbis totus angustus videbatur? Talis tantusque tamen cum foret

Magnus Alexander, corpore parvus erat.

Cur non liceat profanis sacra miscere? an non ingens ille Philistæus à puero Davide prostratus est? Sed cur tam ex longinquo exempla repetimus, cum habeamus in publicâ Europæ luce emicantem, sacris pariter ac profanis Oratoribus laudandum serenissimum Burgundionum Ducem, Persarum victori staturâ corporis parem, Davidicæ fidei & pietatis æmulum, nec Cæsare nec Davide ullis virtutibus inferiorem,

Eant nunc nostræ staturæ contemptores, quam certè in tam Augusto Principe Marleborchius, & ipse cum suis immanibus Germanis Eugeniis reverentur. Nos naturæ gratulabimur, quæ molem illam inutilem & importunam nobis negavit, ut melius aliquid largiretur. Patrono Burgundo Principe discemus excolere ingenium, & veram virtutem, quæ sola ad germanam gloriam iter est, consecrari.

MEGALOSOMUS.

Non hodie primùm, Iudices integerrimi, in sito quodam puncti livoris stimulo, pusilli homunciones adversus proceræ staturæ viros armis virisque suas decertando voluerunt experiri. Ipsorum jampridem majores Pygmæi, apud Poëtas famosissimi, in ipsum insurgere Herculem, eumque laceßere armis imparibus non dubitârunt, quos ille ludens clavæ solius obtentu perterritos vertit
in

in fugam, & confidentiores inter ceteros temeritatis in pœnam suâ in capsâ conclusit. Tamen ecce prodit aliquis ex eorum nepotibus, non in Herculem unum, sed in omnes excelsæ stature viros pugil impudens; & in eos, quos revereri debuisset, rursus insurgit. Quo in certamine utinam Herculem alterum præstare me possim! Et præstarem utique, Auditores, si manu & clavâ, non ingenio ac linguâ certandum esset. At quoniam unius ingenij viribus tota dirimi hodierna controversia debet; non possum, quin reformidem tantum tam parvo in corpore adversarium, qui ingenitæ, si Superis placet, solertiæ conscius, quam nullo rationis præsidio niti causam fenserat, hac saltem parte putavit esse fulciendam.

Verùm quid profecit ille, dum se oratione tam longâ torqueret, dum voce ac lateribus tantùm contendere visus est? Non est ejusmodi quæstio illa, quam agitamus, Judices, ut eruditis ex reconditori doctrinâ argumentis probari egeat; non est ingenij acies pertundenda vehementiùs, ubi de exteriori corporis formâ certatur: soli oculi consulendi sunt; & quemadmodum absurdum videretur, si quis rationis judicio vellet expendere, utrùm præstaret dubio pede incedere, an firmo; gibbosum esse, an rectum; ita non minùs ridiculum videtur, ad rationis trutinam & judicium revocare, utra præstet, pusilla statura, an magna.

Judicent igitur oculi, quorum est hac in causâ ferre judicium. Sed quid dico judicent? an non sententia jam lata videtur esse; quandoquidem habemus ab oculis impressam hanc animis nostris cogitationem, magna parvis longè esse præ-

præ-

præponenda? Hæc est enim infita nobis rerum notio, non studio vel labore parta, sed nata nobiscum & longo usu confirmata; ut quidquid humile esset & parvum, contemptu, quidquid sublimè & magnum, admiratione dignum censeremus; & vicissim, quidquid videretur contemnendum, parvum ac tenue, quidquid laudabile, id continuò magnum vocaretur. Hinc tardius ingenium aut simplicius, tenue, exiguum solemus appellare; acre & excellens nunquam definitur rectius, quàm si magnum dicatur. Hinc si quid videtur præstare cæteris, id laudatur ut magnum; sic magnus Princeps, Dux magnus, Imperator magnus dicitur. Sic Regi nostro dignum tot præclaris facinoribus, tot victorijs ac triumphis cognomen Europa cum quæreret, nullum præstantius excogitare potuit, quàm si eum *Magni* nomine insigniret; quem cum Ludovicum *Magnum* appellavit, non inferiorem meritis mercedem visa est contulisse.

Sed quid provocamus ad hominum fidem, qui Dei ipsius testimonium habeamus? Nam cum æquissimus rerum æstimator Deus populo suo Regem vellet imponere, eum præ cæteris imperio dignum putavit, qui magnitudine corporis præcelleret. Neque id verò populus ipse non sensit, qui postquam Saülem in mediâ turbâ constitutum, reliquis omnibus, *ab humero & sursum*, ut Scriptura loquitur, eminere conspexit; continuò quasi nihil aliud ad regiam dignitatem requireret, Saülem unanimes voce Regem salutavit.

At quoniam adversarius ille meus mentionem fecit de Alexandro, quem corpore parvum sibi gratulatur extiuisse; attendat, quæso, quantum

tum ipsi laborandum fuerit, ut hanc corporis humilitatem animi celsitudine corrigeret. Avulsus ille patriæ de sinu disjunctissimas terras peragravit, penetravit ad Arabas & Indos, domuit gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, potentissimos delevit exercitus. Quid porro tanto bellorum apparatu, tantâ contentione præliorum, tam insatiabili vincendi cupiditate persequeretur? Id unum, Judices, ut, qui magnus esse non poterat, magnus saltem diceretur; & quem parvum natura fecerat, magnum fama prædicaret. Quid dicam, nihil tam obfuisse eidem Alexandro quàm corporis molem exiguam, quâ factum est, ut debitos totius orbis triumphatori honores non ferret, &, neglecto Rege ipso, Sisigambis salutarer Ephessionem, quia formâ corporis erat Alexandro præstantior?

Et mihi jam laudabitur exigua moles corporis, aut etiam sublimioris staturæ dignitati anteponenda prædicabitur, quæ sola negavit Alexandro reverentiam, quam conspirantes totius orbis nationes ultrò deferebant?

Quis autem id miretur in hominibus, quod ne bestiolæ quidem ipsæ ignorarunt? Ita enim accepimus ab ijs, qui res naturales curiosius investigarunt, toti Apum Reipublicæ, eum præesse regem, qui corporis mole major sit. Possum itaque, ut olim Salomon pigros homines ad fornicam, tanquam ad laboris magistram, sic vos homunciones ad ingeniosissimam Apum rempublicam remittere, ut ab ijs tandem aliquando perdiscatis, quantum Statura nostra præitare vestræ dicenda sit.

Atenim reclamât Adversarius: sagaci valens
inge-

ingenio pusilli homines; esto hoc ipsis relinquamus, qui cætera abstulimus. At quibus in rebus vim illam ac perspicaciam ingenij sui exerunt? Dicamus quod res est, Judices: hoc illis prout videmus, evenire, ut quod ex ipso nomine sonat, pusilli homines pusillos quoque sensus habeant, minuti homunciones minutulis rebus occurrant.

Quid quoddam iracundi plerumque morosi, impotentes, eoque contumeliosi magis, quoddam, cum vires desint, linguæ præsidio atque acerbitate tueri se ac defendere contendant; omnibus molesti, sibi ipsi displicentes, qui se suumque supplicium quocumque circumferre sentiant. Ita enim tenuitatis suæ sibi conscij sunt, ut quoties ridetur, toties derideri se suspicentur, nihilque in eos durius jactari possit, quam si homunciones appellentur.

Sed hic finis dicendi sit, Auditores; festio me abreptum longius & dixisse plura, quam proposueram. Hoc saltem adversariis detur solatium, ut contra eos non nisi grandi oratione dici potuisse videatur.

MESOCALLUS

Ortam de staturâ magnâ ac parvâ contraversiam dirimens.

Lubricum penitus ac periculosum contraversiæ genus hodie nobis incidit, quam dirimere, nec sit obvium satis, nec decidere, si quis fortè locus se obrulerit, tutò liceat. Certant utrinque paribus animis nobilissimi pugiles; neque tam agunt

agunt causam privatam ac suam, quàm communem ac publicam tuentur. Hic staturæ pusillæ defensor, ille corporis excelsi vindex insurgit. Validis ambo momentis & gravi rationum pondere primas sibi vindicant.

Quid agam, Iudices, aut quid vos potius putatis esse statuendum, quorum sententijs tam difficilis contentio dijudicanda permittitur? An favebitis Pusillis hominibus, quos Orator non indertus, nec tenuis aut exiguus in dicendo commendavit? At reclamabit continuò grandiorum hominum patronus, cujus Oratio staturæ suæ dignitati atque amplitudini tam bellè respondit. An patrocinio vestro genus istud hominum dignum videbitur, quos parca nimium aut avara etiam natura formæ præstantiâ ac majestate destituit? At quibus illa consuluit impensius, ijdem quanto jure suo postulant suffragantis sibi naturæ judicium comprobari? An demum æquum censebimus, quod Pusilli homines tam accuratè defendunt, staturæ brevioris vitium fortitudinis & ingenij laude, quâ præstant, abundè compensari? At quàm iniquo ferant animo, qui proceram corporis molem nacti sunt, fortitudinis & ingenij palmam nullo suo merito sibi abrogari?

Quòd si mutatis contrarias in partes sententijs, excelsam corporis figuram judicabitis humili esse præferendam; quales in totâ parvorum hominum gente tumultus ac turbas excitabitis! Non sunt naturâ suâ patientes probri, quotquot sunt formæ brevioris homines, & quanto cupidius decus ac laudem affectant virtutis ingenitæ conscij, tantò secum agi putant iniquius, si deteriores opinione suâ sensus experiantur. Ergo

L
quis

quis laceſſat eos impunè , quos acuit æmulationis contemptus atterit, repulſa ipſa accendit ac provocat? Non ego periculoſius putem irritare totam Apum rempublicam , & in ſolicitos earumdem labores palàm involare, quàm ſubire iſtorum hominum invidiam, quibus nec ſtimulus deest ad pungendum , nec multitudo , quæ vim oppugnationis ſuppleat ac compenſet.

Tamen decidendum hodie inter rixantes grave litigium eſt, & vel alterius partis offenſione, cauſa finienda. Id ipſum quàm oſeroſum debet videri; dum utrinque ſtaturæ excelsæ pariter ac parvæ commoda circumferuntur? Hic figuram brevem ſic extulit, ut excelsis corporibus non putet invidendum; aded gratulatur ſibi parcitatem materiæ tanto cum ſœnore fuiſſe compenſatam; ut plus ingenij, plus artis ac ſolertiæ naturæ parvæ moli indiderit, quàm grandiori videatur tribuiſſe. At unde reponit alter ſibi hoc vindicat homuncio tanquam ſuum? aut quibus argumentis id evincit? An quòd beſtiolis quibusdam, an quòd apibus ac formicis ineſt inſita quædam induſtria? an quòd Piſſitaci bellè garriunt, Philomelæ ſuaviter modulantur? magnum enim verò gloriandi argumentum! urget idem acriter, quod ab inſectis, quod ab aviculis depromitur. Videant puſillæ ſtaturæ defenſores, ne, quam ſibi arrogant ingenij laudem, illa corporis ſui tenuitatem non excedat, neque, niſi minutulis in rebus, ingenioſi inveniuntur!

Alterum eſt, quo nituntur, defenſionis genus homines conſcij ſuæ tenuitatis, ut fortitudinem rebus in ſuis numerandam arbitrentur. Nimirum, inquiunt, parvo in corpore contracta videtur

dum expatiandi liberiùs locum non habet, perpetuo retinetur in nisu, & angustioribus in membris novum semper vigorem exerit, quo majora corpora, propter immensam hospitij capacitatem, destitui necesse est. Hinc, si quid illis creditur, parvo Davidi tantum adfuit roboris, ut immensum Gigantem prostraverit: hinc Alexandro Macedoni, quem parvo corpore extitisse narrant, vis illa, quam attonitus orbis revereri visus est. Hinc ille metus, quo Burgundi Principis ad aspectum immanes Germani percelluntur.

At neque vim argumenti illius extimuit grandiorum corporum patronus. Enimverò quis existimet, magnum corpus minùs esse idoneum excipiendo robori, quàm parvum, aut fortitudinem minùs decenter in grandi domicilio, quàm in tenui habitare? Ergo, si quid Oratori pusillo creditur, destruenda sunt ingentia palatia, quæ majestatem Principum tam bellè decorant, ut in angustis ædibus concludantur. Erit parvus onyx nardi pretiosi ampliori cado præferendus? Commendantur Gigantis victor, domitor Asiæ, & utrique nihilo inferior Dux Burgundionum, in quibus brevitatem staturæ animi magnitudo compensavit; esto: at exempla ista tantò illustriora sunt, quantò rariora; nec afferuntur in mediùm, nisi ut, quod fateri nemo dubitat, Pusillos homines ab eximiâ fortitudinis laude non excludi penitus, ostendatur.

Hæc sunt, Iudices, quæ proferuntur utrinque Pusillæ atque Excelsæ staturæ adjumenta. Jam expectatis, ut ego, pro commissâ mihi provinciâ, statuam aliquid vestris deinde sententijs, aut emendandum, aut confirmandum. Ego, ut meo muneri faciam satis, neque sic assentiar excelsæ

L. 2

staturæ

staturæ defensoribus, ut breviorē contempisse videar: neque sic favebo parvæ staturæ patronis, ut grandiorē damnandam esse crediderim. Absit enim verò, ut assentator putidus dissimulem in utraque, quod vitiosum est; aut fastidiosus contemptor, quod laudandum sit, velim elevare. Habent Magni pariter ac Parvi, quod extollas, nec deest ipsis vicissim, quod emendes. Valeant immanes illi Colossi, qui nihil habent, præter insulsam proceritatem, quod ostentent. Faceant Puffilli homunciones, qui figuræ suæ brevitatem nullâ commendatione redimunt. Imò nec ipsa corporis magnitudo, quantumvis aliunde commendabilis, placeat, si modum excesserit, & Gigantem æmuletur. Multò minùs probetur figuræ brevitatis, fortitudinis atque ingenij laudibus redempta, si ad Nanos accedat.

Igitur, ut contentionem hanc totam paucis dirimam, & oratio nostra, quæ brevior videri non debet, intra justos magnitudinis limites coercetur, sic statuo. Laudetur in homine illa statura corporis, quæ nec tam modica sit, ut præstantiâ ac dignitate careat; nec tam excelsa, ut monstruosa videri possit.



LIBER

LIBER EPISTO-
LARUM.
PRÆFATIO.

NON est inanis, aut in tenui po-
sita conscribendæ Ars Epistolæ;
ac licet nihil tam passim obvium, tam
frequens in usu, quàm Epistola; nihil
tamen videas plerumque in eo genere
perfectum & absolutum minùs. Imò,
Ars ipsa nocet per se se, dum exquisitiùs
affectatur in eâ re, quam esse nativam
totam oportet. Hæc enim Epistolæ dos
prima. Neque verò aliam ob causam
Nostrates quidam sub medium poste-
rioris sæculi Scriptores vilescere jam
cœperunt, nisi quòd in scribendis Epi-
stolis nativæ simplicitatis contempro-
tes, subtilis ingenii famam curiosiùs au-
cupabantur.

Hic porrò naturæ color & genuina
simplicitas, non tantùm in rebus quæ
scribuntur, sed in ipso etiam stylo ser-

vari debet ; qui non incitatus aut vehemens, aut figurarum distinctus luminibus, ut in oratione, sed lenis, concinnus, ac politus, qualis liberalibus & honestis in colloquijs usurpari solet. Nam cum est illud Epistolæ proprium, & huius causâ inventa res ipsa, ut certiores faceremus absentes, si quid interveniret fortè, quod eos scire aut nostrâ aut ipsorum interesset ; tum certè non debet illa à mutuo liberalique sermone, qui habetur inter præsentis, longius discrepare.

Epistolarum autem multa genera sunt ; at duo isthæc imprimis, unum familiare & jocosum, alterum severum & grave. Prius inter amicos & familiares adhibetur, à quibus ea vulgò tractantur in Epistolis, quæ lepida & festiva sunt. Posterius in usu est, cum scribitur ad personas alicujus auctoritatis ac dignitatis, quibuscum graviora plerumque ac severiora agitantur. Tamen hæc ipsa gravitas ac severitas temperatur nonnunquam ac remittitur pro varietate argumenti, quod Epistolæ materiam

teriam suppedirat; sic ut jocos etiam patiantur, quæ mittuntur ad viros Principes Litteræ, si modò scurriles non sint, ac mimici. Plenæ sunt apud Horatium urbanis ejusmodi salibus, quas ad Mæcenatem & ad Augustum scribebat, Litteræ. Nec ipse Cicero, cùm scribit ad Cæsarem, & ad viros in Republicâ primarios, liberalibus facetijs abstinet. Sed licentia illa non datur, nisi prudenter sumpta; neque omnium est ita ludere joculariter cum personis, adversus quas reverentia quædam atque observantia semper adhibenda est.

Placebant olim in Epistolâ verborum quædam lautitiæ & officiosæ urbanitates, vel cum fastidio conquistæ; jam delicatior rerum gustus comptiores istas munditias, uti privatis è congressibus, ita è Litteris expulit, nec abuti iis licet nisi parè admodum & sobriè.

Non est prætermittenda Epistolæ non ultima laus, brevitás; nam quæ prolixior est, fastidio proxima sit, nisi fortè res agitentur ejusmodi, quæ longam disceptationem requirant. Alio-

quin Epistola loquacior aut negligentia, aut nimia festinationis vitium arguit. Hinc ille excusans apud amicum Litterarum suarum prolixitatem, non scite minus, quam verè dicebat, non licuit mihi per tempus esse breviorum,

Denique infinitus sum ego, si varia, de quibus scribitur, argumenta complecti velim: cum nihil sit rerum omnium, quod Epistola non admittat. Quare satis habebò indicare hinc certa quaedam capita, ad quæ revocari possunt, quæ Litteris vulgò committuntur. Atque ut varijs de argumentis adiri Tullius possit, tam in Litteris, quam in Orationibus exarandis dux optimus, contexuimus Indicem, qui familiares Ciceronis Epistolas designabit sub illis capitibus contentas. Quod verò ad nostras Epistolas attinet, non pares numero, multò minùs elegantia & dignitate, quo in genere scriptæ sint, nota singulis præposita declarabit.



LIBER EPISTOLARUM.

RHETOR INITIATUS

Rhetori Candidato post Férias Autumnales adhuc rusticanti.

Objurgatoria.

HEus tu! quæ te segnities moratur, Carissime? Ten' rusticari adhuc otiosum, dum Litterario in Ludo jam fervet sodalium tuorum labor, & in novo palæstræ genere de ingenij, doctrinæque palmâ certatur acriter? Quamquam video, quid tam securum te, tamque confidentem faciat. Parùm scilicet te afficiunt, aut etiam movent, quæ nos mirum in modum excruciant prima Rhetoricæ rudimenta. Nihil putas esse tam arduum, tam plenum salebris, tam intricatum difficultatibus, quod pro ingenij solertiâ ac sagacitate non vincas statim ac superes. Felicem te profectò, qui tot ad rem gerendam feliciter adjumenta nactus es! Infelices nos, quibus par præsidium gratulari non licet! Tamen utinam, uti confidis, ita tibi succedant omnia, neque aliter sentire incipias, cum hîc aderis. Nam si nescis, Amice, peregrino versamur in loco, in quo nemo

L 5 hospes

hospes haberi non possit. Interim miramur non adesse te & curiosis nequicquam oculis absentem vestigamus. Crede mihi, moras abrumpere omnes, & ad urbem citus advola, si sapias. Satis hucusque ludo & oblectamentis datum est; animum ferium indue & avidum laboris. Nam neque nugis, neque socordiae locus hic vacat. Sed quid ego te diutius moror? Vale; nihil rescribas nobis, sed veni.

RESPONSIO.

Excusatoria,

A Ccusasti Amicum tuum negligentiae, & plus aequo amantem otij increpasti, quod exactis Autumnalibus feriis rusticari pergam, dum tu Litterarium Ludum ingressus chartis impallescis. Parce tamen hanc mihi hodie affingere calumniam, quam aliam fortasse non ita facile depulisses. Nunquam ego abruptissem lubentibus moras omnes, quae regressum in urbem retardare solent, nisi me timor quispiam subrusticus, quem irridebis haud dubie, etiamnum retineret. Dicam ingenuè, quod res est; nam cur dissimulare quidquam tecum velim? Vel ipsum Rhetorices illius, quod vocatur, limen religiosum quemdam horrorem ac metum semper incussit. Audivi enim quàm multa narrentur à multis, quae confidentissimos quosque perterrent. Novum illic aiunt vigere doctrinae genus, novas vivendi leges, novam disciplinae rationem, novos incolas, verbo dicam, nova omnia; sic ut in eo solo nemo non hospes ac peregrinus videri possit. Ego, qui meticulosus naturam meam sum, mirum est, si refugiam illuc accedere? Tu confidentior paulò, ne dicam auda-

audaculum, qui erectâ fronte perfregisti sacros illos aditus. Rescribe, si me amas, quid isthic agatur, & diffidentem amicum, si potes, confirma. Interim dabo singularem operam, ut non veniam, nisi diligenter commendatus. Multos novi, & amicos nactus sum, qui auctoritate ac gratiâ plurimum valent apud eos, qui provinciam istam moderantur. His instructus præfidiis captabo horum hominum benevolentiam, & si quid absentia longior nocuisset, emendabo.

RHETOR IDEM

Amico in urbem reduci post Autumnales Férias.

Jocosa,

ERgo te ruris tui tandem ceperunt fastidia, & è tantis deliciis salvus ad nos & incolumis rediisti? Næ gaudeo propter te plurimum, tibi que mirum in modum gratulor. Nam ut fatear quod res est, tibi ego tot inter illecebras rusticanti timui non mediocriter. Sciebam in hortis illis, quos incolebas, hunc inter alios fructum crescere, qui semel ingressis miram reditûs oblivionem inducit. Nullum verò in vestro comitatu Ulysses noveram, qui aut Loton gustare nollit, aut gustatâ vellet abstinere. Hinc metus diutinæ moræ, celerisque supra spes meas & vota reditûs cumulata lætitia. Eam tu meliùs intelliges, cum ego te veluti ex Asiâ aut ultimis oris reducem amplexabor. Unum habeo monere te in præsentia, meditatus ad nos ut venias, & ad dicendam pro longiore absentia causam egregiè comparatus. Equidem novi te emunctæ naris hominem

nem

nem inter paucos. Tamen non ita pronum est, uti reris, barbato regi imponere. Cæterum si me audies, parces operosius quærere, qui te commendent; neque potiore esse commendationem existimabis, quàm quæ à te ipso profecta sit. Vale. Hæc tuo Davo properanti, & nullam, ne cessasse dicatur, moram admittenti danda fuerunt pauca & inconcinna.

MATER AD MAGISTRUM
FILIOLI,

Cum Puerum Litterarium ad Ludum tardius remitteret.

Commendatitia.

Filiolum nostrum tibi remittimus, Vir clementissime, seriùs fortè quàm par esset; tamen neque Adolescentis negligentia factum illud est; neque nos ipsi in causâ sumus. Nosti quàm pluvia jam diu utamur tempestate, per quam non fuit integrum vel corruptam imbrum vitio tentare viam, vel puerum objicere periculo valetudinis, quam asperior paulò intemperies aëris, tam tenuis illa est, tam propè nulla, facile incommodet. Veniam igitur dabis, ut spero, pia parentum sollicitudini, si spem domûs unicam & gentis totius columen unum sedulò conservatum velint. Cæterum Filioli nomine ultrò pollicebor, fore, ut amissum tempus diligentia brevi compenset ac resarciat. Est enim minimè desidiosa pueri indoles, aut fugitans laboris. Imò nihil ipsi tam melli est, quàm dum in accurandum pensum
totus

totus incumbit. Parco dicere plura illius in gratiam, ne fortè videar filio plusculum indulgens mater. At non tacebo tamen, quod unum ipsius in moribus amavi maximè, memorem tuæ in eum benevolentiae ac gratum imprimis animum. O si adesses, quoties amicum sibi, liberalem ac beneficum in primis Magistrum jactitat! Hanc tu porrò benevolentiae partem, quam puero impertiisti hastenus, ut tueri semper ac præstare velis, etiam atque etiam peto. Pervidisti omnino Adolescentis animum, quem benignitate potiùs, quàm acerbitate regendum putaveris. De reliquo familiam totam sic obligasti, ut cupidissimam, tuique in omnè tempus observantissimam sis habiturus. Vale.

LENTULUS FABIO,

Cùm is invitatus ad Cœnam & pollicitus non venisset.

Objurgatoria.

ERgo promittis ad cœnam, & non venis? Tibi jus dicitur: ad assem impendium reddes, neque id modicum. Paratus erat tibi Capo præpinguis ex Cœnomanensi tractu recens adventus: Pullus geminus educatus sedulò & frumento jam diu fartus; adde & Palumbes duos cum Cuniculo, non urbano illo quidem & domestico, sed rustico & sylvestri. Vinum fileo, quale nec bibitur Rhemis, quadrimum illud sanè, quod neque palatum exsurdet, neque vetustate evanuerit. Glaciem, quanquam æstus præterit, servabam tibi homini, si quis alius est acri & præservido;
hanc

hanc quoque computabis, imò hanc imprimis quæ periit in ferculo. Ad hæc Olivæ Salyæ longâ muriâ conditæ. Quid plura? fructus omnis generis, quos tempestas ferat; etiam cùpediæ, bellaria, dulciaria, si tamen delicias illas confectaris. At tu apud nescio quem Aprum, Perdices, Lepores maluisti. Dabis pœnas, non dico quas. Durè fecisti; nescio an tibi, an mihi; sed tamen & tibi. Quantum lussissemus, risissemus! Potes apparatus cœnare apud multos, nusquam hilariùs, simpliciùs, incautiùs. In summâ expirare; & nisi posthac te alijs potiùs excusaveris, mihi semper excusa. Vale.

MARCUS TULLIUS CICERO

Tito Annio Miloni Massiliæ
exulanti.

*Cùm scriptam, quam pro ipso dixerat,
Orationem ad eum mitteret.*

Ad excusandum.

EXulas ergo vel innocens, Tite Anni; neque fatalem à cervicibus tuis casum arcere potuit tuus ille Tullius, cujus in patrocinio tantum posueras? Infelicem me vel hac meâ, si qua est, dicendi facultate, quæ tibi non profuit! Nam quid me juvet adfuisse quibusdam in causâ capitis, & meritas etiam nonnunquam pœnas depulisse; dum tibi reliquos inter homini amicissimo opitulari non licuit? Tamen accusa effrænem armorum licentiam; accusa Clodianæ factionis auctoritatem; quæ pristinam consuetudinem Fori, & vete-

veterem judiciorum formam sustulerunt. Quis esse potuit inter armatos satellites & impudentes sicarios vel innocentiae vel Oratoriae facundiae locus? Quàm tibi hac in parte non defuerim, fidem faciet isthac Oratio, quæ fuit tuam in defensionem comparata. Hanc tu perleges attentè, si me amas, & de meo erga te studio facies conjecturam. Si quem habeo rei Forensis usum, si quam in agendis causis experientiam sum consecutus, equidem profiteri possum; nihil ad propulsandam calumniam excogitari potuisse validius, nisi inimicorum nostrorum furor atque potentia innocentiae & æquitati prævaluissent. Quid restat, Tite Anni, nisi ut, fortuna melior dum venerit, æquo, ut virum fortem decet, animo præsentem feras. Vale.

TITUS ANNIUS MILO

Marco Tullio Ciceroni.

Cum actam pro se ab eo Orationem, scripto exarata perlegisset.

Satyrica.

CUm vidi perlegique attentius, quam scripsisti pro me Orationem, cujus ad rationum monumenta, ad elegantiam concinnitatemque sermonis, ad ipsam totius operis absolutionem nulla fieri potest accessio, mirabar, Marce Tulli, ut fatear quod res est, vixque ac ne vix quidem mihi persuadebam, Milonem illum, cujus egeras causam tam disertè, versari Massiliæ exulem; neque tanto præsidio fretum tristissimam, quam patitur, sortem declinare potuisse. De-
bueram

bueram mehercule tam insignem, tam facundum
 nactus defensorem, vel in causâ malâ ac despera-
 tâ aduersariorum meorum impetus eluisse; in
 tantâ verò causæ meæ bonitate multò minùs vide-
 batur esse quidquam, quod merendum mihi ar-
 bitrarer. Quid esse dicam, Marce Tulli, quòd
 Oratio tam elegans, tam nata ad movendos ani-
 mos, tam idonea ad faciendam fidem, hunc de-
 mum habuerit exitum, ut Massiliam relegarer?
 Etiam juranti non credam, eandem illam esse
 quam dixisti. Non ausim derogare tantum di-
 vine illi Orationi, quam lectitare non possum ad
 fatietatem, quam in oculis fero, quam deosculor
 in singulas horas, tanquam certissimum innocentie
 meæ præsidium. Hanc si, ut est exarata, pronun-
 ciasses; crede mihi, Marce Tulli, tuus ille Milo Massi-
 lienses mulos jam non ederet.

HISPANUS

Fortissimo Barcinonensis urbis Guber-
 natori.

*De ineptis, qui Lutetia spargebantur ru-
 moribus, Urbem esse jam diu deditam,
 dum illa contra Batavorum, Anglo-
 rumque impetus acrius defenderetur.
 Anno 1706.*

Nuntia & Satyrica.

NAm quid te militesque tuos in defendendâ
 Barcinone frustra maceras, vir fortissime?
 actum agis. Omitte novum illud dignumque
 gente vestrà fidei virtutisque specimen. Nescis
 urbem

urbem hanc vestram expugnatam hinc esse jam diu ab hominibus non paucis, quibus, vel si procul à mœnibus hostes fugerint, non persuaseris tamen, salvam & incolumem Barcinonem posse præstari. Utinam enim verò audiisses, quid illi suis in circulis, aut etiam medijs in compis effutiant circumforanei politici, dum res quaslibet, non tam ex certâ incorruptâque famâ, quàm ex feriatî malè cerebri figmentis metiuntur! Alij captam urbem conclamârunt, antequam ipsa cœpisset obsideri: alij finxere te cum invictis legionibus deseruisse Barcinonem, quo die egressus tu quidem ex propugnaculis hostes aggressus es, & magnam eorum stragem edidisti. Alij ruentibus ex se se dissipatisque per fideles nuncios, qui percrebuerant, rumoribus, tamen in errore pertinaces versantur, nec servari Barcinonem posse defendunt, quia expugnandam illam esse judicant. Quid facias? abundat hæc civitas hominibus minimè malis illis quidem, at meticulosis præter modum, quos adversæ res feriunt multò antè, quàm evenerint: qui, ne desit unquam, quod fovere ipsorum metus possit, nova quotidie timendi argumenta comminiscuntur. Nihil te movebunt, sentio, tam ineptæ, tam ridiculæ otiosorum hominum opiniones. Perges, uti fecisti hætenus, urbem tueri viriliter, & sinceram optimo Principi incorruptamque fidem approbare. Magnam hodie personam sustines, Vir fortissime, & intentos in te unum omnium oculos atque animos rapis. Plausus vicissim exspecta pares animo, constantiæ tuæ pares. Certabunt utrinque Gallia pariter atque Hispania, quibus nomen tuum laudibus prosequantur, & tam egregiæ defensionis memoriam apud posteros commendent.

M

RE-

RESPONSIO

*Gubernatoris Barcinonensis super ineptis
qui sparsi sunt, de Deditioe suâ ru-
moribus.*

Jocosa.

Habemus singulares vestris hominibus gratias
qui nos longioris defensionis curâ liberant,
& esse deinceps periculi securos volumus.
Nam, si quid illis creditur, victi jam sumus, & ho-
stes caprâ Barcinone tandem triumphant. Di-
bene! quòd hostes, qui nos obsident, non sunt
tam creduli, neque adhuc persuadent sibi, quan-
tumvis id velint, se esse victores! Riferunt nostrâ
milites pavidos, qui vos percellunt, metus, & otio-
forum hominum Politicam, ut par est, explere-
runt. Mittantur ad nos, quotquot sunt, qui tam
facilè despondent animos. Tunc fortè timere de-
sinent, cum rerum nostrarum speculatores ac testes
viderint propiùs, quàm strenuè mœnia nostra de-
fendamus. Neque verò tardiùs se venturos ex-
stimant, quàm ut res ipsas suis usurpare oculis
valeant. Spondemus diurnam satis fore obsidi-
moram, suam curiositatem ut expleant, nisi hostes
ipso pœniteat brevi longioris oppugnationis, &
impatientes frigoris ac tempestatis repetere pa-
triam malint, quàm frustra macerare se, ubi nul-
lus pertinaciæ suæ fructus est. Reliquis audent
ego sum, ut securi de nobis in utramque aurem
tranquillè dormiant. Nos interim pugnabimus
fortiter; nec erit in urbe segnitæ locus, donec
pertæsi hostes certa referant in Angliam Bore-
viâque responsa, & laceræ classis reliquias, unum
victo-

victoriae suae monumentum populis ostendent.
Ceterum plausus ac triumphos despiciamus, modò
quid plausu dignum ac triumpho praestiterimus;
hoc beati satis, si, quam habet de nobis univer-
sus orbis expectationem, non tueri modò, sed
superare etiam valeamus.

MARCELLUS LENTULO,
*ut Lepidum Magistratus Candidatum,
suffragio adjuvet.*

Commendatitia.

SI quando, Lentule mi, nunc praecipue cu-
perem esse te in hac urbe, & ut sis, etiam
atque etiam rogo. Opus est mihi voti, la-
boris, solitudinis socio. Petit honores Lepidus
noster, petit cum multis, cum bonis, quos ut glo-
riosum, sic est difficile superare. Pendeo ergo &
exerceor spe, atque afficior metu, & ejusdem
videor muneris, quod ambit, esse Candidatus.
Meretur hanc curam longam mei charitate: est
enim mihi cum illo verus necessitas: meretur &
eximij animi sui dotibus: neque enim novi quem-
quam vel ab indole, vel à modestia vel à probita-
te, vel à prudentia, vel ab eruditione illustrius illo
comparatum. Accedunt multa ipsius in me me-
rita: quibus ex causis exigo, ut venias, & suffra-
gio meo tuum jungas. Permultum interest meam
adesse te mecum, & obire eorum domos, quo-
rum ex arbitrio Lepidi fatum dependet. Ea est
auctoritas tua, ut putem me efficacius tecum
etiam amicos rogaturum. Abrumpe, si qua te re-
tinent. Hoc tempus meum, hoc fides, hoc etiam

M 2

digni-

dignitas postulat. Suscepi Candidatum, & suscepisse me notum est. Ego ambio, ego periclitator. In summâ, si datur Lepido, quod petit, illius honor; si negatur, mea repulsa est. Vale.

A M I C O

Prematurum Filii sui funus dolenti.
 Consolatoria.

Dolorem tuum quis est, qui non approbet aut qui dolere tecum ultro non velit? Filium requiris extinctum, ante annos, parentum delicias, spem domûs & gentis inclytæ extremum olim, si vixisset, decus futurum. Hunc tu sedulo vel à teneris educaveras, institueras bonas ad artes adolescentem, tuis ipsius informaveras moribus, & natam mentem ad grandia stimulis acrioribus incitâras. At quo demum exitu, quo parentis gaudio, nunquam laudandus satis Adolescentens tam præclara documenta animo imbiberat? quis illo vidit in rebus acutiùs? quis differtuit peritiùs? quis scripsit elegantius? quis ad omne virtutum genus cupidius exarsit? Sed quid ego vel istâ commemoratione refrico fortasse nondum obducta bene vulnera, quibus mederi velim? Quanquam hæc ipsa sunt, quæ lenire parentis ægritudinem & possunt & debent. Viget enim verò, & longum vigebit apud omnes gratissima juvenis optimi memoria. Imò non aberit penitus ab hominum consortio, quem multorum laudibus celebrari identidem audies, & tanquam absolutum quoddam ætatis illius primæ exemplar requiri. Hoc in speculum, ne dubita, diligenter intuentur, quos habes superstites filios.
 Illic

Illic perlegent officij sui partes, & fraternæ virtutis æmulatores avidi, quem ereptum tibi desideras, etiam cum fœnore restituent. Hæc te spes interim sustentet, & pias parentis lachrymas abstergat. Vale.

A D A M I C U M.

Raram esse, imò nullam apud homines sinceritatem.

Morosa.

UBi, ubi sumus, Amice? quibuscum vivimus? quò demum fugit sinceritas? quò veritas exulavit? Huccine recidisse res humanas, ut fallacia, præstigiæ, dolus ubique dominantur; neque ullum deinceps sinant esse simplicitati locum? Equidem noveram satis, non esse hominum quorumlibet candorem illum ingenuæ mentis, quem requiro; imò mihi non latebat quosdam esse terrarum tractus tam aversos à verò, ut ne vestigium quidem sinceritatis uspiam reperias. At in istâ cœli purioris plagâ, inter cœtus illos hominum, quorum in vultu natus lepos, in verbis comis urbanitas, in ipsâ vivendi agendique ratione facilitas quædam, expersque fuci candor apparet; hîc, inquam, neminem esse non fucatum, non fallacem, non personatum! quis hoc ferat, amice? quis non expostulet? quis non indignetur? Cedo locum aliquem quò ferar, ubi vivere liceat. Nam hæccine vita est, quam vivimus? vivere hunc putem, hominem qui non habeat, cujus intueri possit animum, qualis revera est? cui verum dicere, à

M 3

quo

quo & audire verum desperet? quem facere rerum suarum participem, quem consulere audeat? Nihil moror, amice: certum est humanæ societati nuncium remittere, valedicere mortaliū consortio. Si bene me novi, via hæc tutior & brevior. Penetrabo recessus nemorum, abdā me solitudinum latebris, inter rupes & feras immorabor; felix fortunatusque, si qua uspīam veteris & extinctæ simplicitatis, ac sinceritatis vestigia nactus sim! Vale.

ADOLESCENS AD PATREM,

Cum iussus scribere de studiorum progressu, nihil haberet boni, quod scriberet.

Ad Excusandum.

ET si nihil habeo scribendum hodie, quod placere admodum possit, Pater colendissime, non dubitavi tamen morem gerere voluntati tuæ, & quod se habeat apud me loco res Litteraria, facere te certiorē. Saltem hunc sperare mihi posse videor fructum obsequij mei, ut, dum fatebor ingenuè quod res est, nihil de solito candore animi remisisse, neque vel in meâ causâ dissimulasse quidquam accusari possim. Itaque non diffitebor apud te, Pater amantissime, minus feliciter, quàm aut sperabam, aut etiam fueram tibi pollicitus, processisse ultimam rei Litterariæ concertationem. Nescio quo malo factum sit fato, ut inferiorem expectatione meâ inter æquales meos

meos locum obtinuerim. Quanquam quis non intelligat ancipites esse armorum casus, atque hanc esse fortem eorum omnium, qui dimicant, ut non æquam semper & faventem fortunam experiantur? Id nõsti tu, Pater, unus omnium optimè, qui totam inter Martis labores ætatem tam laudabiliter contrivisti. Scis quàm vario, quàm parùm certo eventu quotidie configatur; neque vel accusandam continuò Ducis imprudentiam, aut increpandam militum sæcordiam videri, si minùs feliciter certatum sit. Id tamen dictum à me nolim existimes, quasi aut factum excusare penitus, aut omnem infelicis alexæ invidiam declinare voluerim. Unum hoc mihi in hac meâ calamitate relictum commodum esse video, ut novos ad rem bene gerendam stimulos, novam ad assequenda meliora diligentiam atque alacritatem adjiciat. Hac ego spe fretus nullus dubitem polliceri tibi, Pater amantissime, futurum intra breve tempus, ut hodierni nuncij acerbitatem lætior Epistola corrigat ac temperet. Hæc me recreat ac sustentat singulos in dies fiducia, quæ ut tantumdem apud te ponderis habeat, etiam atque etiam peto. Vale.

IDEM EIDEM,

Cùm Primas inter suos obtineret.

Gratulabunda.

Tantò lubentiùs tibi scribendum hodie suscepi, Pater amantissime, quantò difficiliùs, id ipsum nuper ut facerem, adductum fuisse me

M 4

pro-

profiteor. Nihil habet isthæc Epistola nisi lætum, nisi fortunatum, nisi quid gratissimum tibi, quod nunciet. Nam sive æquiores se mihi, quàm aliàs fortuna præstitit, sive diligentia accuratoris percepi fructum aliquem, sive, quod ego lubentius crediderim, singulare placendi tibi desiderium novos addidit ad rem bene gerendam stimulos, Primas tandem aliquando inter condiscipulos meos sum adeptus, & Imperatoris dignitate defungor. Hujus porrò muneris amplitudinem dubito, utrùm tantum faciendam putes, quanti reipsa valeat. Tu qui Legionibus integris tantâ cum laude præfuisi, Pater amantissime, Filium imperitantem sive numerosissimæ ac florentissimæ juventuti eâ cum dignitate pariter ac potestate, ut audientem dicto & imperio obsequentem habeas ut cùm placuerit, ducat milites in aciem, conferat manus cum hoste, victorias reportet, laureas ac triumphos mereatur. Hoc ipsum est, quod filio gratulari potes, quod filius tibi ipsi tuus hodie gratulatur; nisi fortè contemnendum crederis, quod filium vel hac ætate jam imperantem habeas. Id porrò non putem ignorare te, quod per temetipsum satis expertus es, nihil esse quod in homine imperante tam commendari soleat, quàm liberalitas ac munificentia. Hæc enim illa virtus est, quæ militum animos conciliat, robur incendit, & ad ardua quæque aggredienda viriliter excitat atque inflammat. Quare ita confidore, ut cùm mearum sit partium virtutes cæteras, quæ in Imperante adesse debent, comparare, liberalitatis unius exercendæ facultatem, quam in te uno positam nôsti, suppeditare non gravéris.

Vale.

LAPIS

LAPIS LYDIUS.

Ad explorandam Amicitiam,

seu

F A B I U S

Amisâ Ludo Pecuniâ,

*Ad hominem avarum, qui se amicum
jaçtabat, ut mutuam præstet.*

Jocosa.

Actum erat de me, ne vivam, hominum carissime, & res, opinor, ad restim perè, & ad laqueum reciderat mihi, qui loculos omnes funestissimo alexæ casu perdideram, nisi tu dolenti miserè ac desperanti homo amicissimus occurrisses. Intellexi statim, ita persuasum habeo, quod jaçtastî mihi tam sæpè, non fucatum te aut personatum, sed verum ac sincerum amicum esse; intellexi, inquam, hoc ipsum, quod me angebat tantum, rem fore tibi gratissimam, qui opportunam testandæ amicitîæ occasionem nactus esses. Nam unde tandem illustrior amicitia se prodat, quam si, opitulandi amico gratiâ, quoslibet crumenæ sumptus ac ruinas ultrò patiatur? Hic est Lapis veluti Lydius, quo, sicut germanum aurum ab adulterino, sic amicus verus à falso discernitur; & qui tam gravi periculo tentatus se-

M 5

mel

mel nullis avaritiæ malè suadentis rationibus vin-
ci se permiserit, is cæteris in rebus certum se ac
fidelem amicum præstabit. Neque enim in ejus-
modi discrimine omnis generis defunt causæ, qui-
bus egentis amici vel justas preces declines facile,
si nihil præter amici nomen habueris. Difficul-
tas temporum, rei domesticæ penuria, faciendi in
numerosâ familiâ sumptus, & alia bene multa
statim se objiciunt, quibus commodandæ pecu-
niæ honesta quædam necessitas eludatur. A qui-
bus ego sordibus cùm te alienum semper æstimâ-
rim, Carissime, ita facile animum induxi meum,
certum abs te in difficillimis rerum mearum ad-
junctis esse mihi præsidium expectandum. Imò
tam amicum te novi, ut non dubitem, quin ju-
cundius quid tibi ferre amico petenti subsidium,
quàm mihi accipere futurum sit. Vide ergo
quantum mutatus repente à memetipso fuerim,
statim atque subiit animo de te deque tuâ bene-
volentiam cogitare. Dolebam amissas opes, ludo
malè precabar, miserum me, infelicem, perditum
æstimabam: jam vix ac ne vix quidem lætandum
mihi propter te putem, cui tam egregium grati-
ficandi amico locum vel imprudens paraverim.

R E S P O N S I O .

Satyrica.

O Me felicem, qui persuasisse tibi videar,
quàm sincerum in me, quàm devotum ad
omnia amicum nactus fueris! Næ æquum
censes, mi Fabi; neque revera quidquam est re-
rum omnium, quod malim, quàm ut talem esse
me,

me, qualis re ipsa sum, arbitreris. Id porrò senties multò magis, cùm pecuniam ipsam, quam tantopere efflagitas, immisericorditer abnuam. Equidem intelligo id fieri sine aliquo tuo dolore primùm non posse; at non committam tamen, ut te, tanto tui dispendio, leviore molestiâ liberandum putem. Nam quid agam infelix, si gerendum in eâ re tibi morem arbitrer? Quò non prorumpet insana illa ludendi prurigo, quæ te miserum tenet ac perdit, si, dum compescere illam possum, quod amicum est, eandem missâ pecuniâ irritem & accendam magis? Hunc tu amicum æstimes, non perfidum potiùs ac proditorem, qui furioso cuiquam ensẽ petenti, quo se transverberet, illum indulgens pravè porrigat? Absit hoc à me, optime Fabi, tam malè de te ut merear. Ecce multò melius quodpiam & illustrius amoris erga te mei pignus impertiar, amicum scilicet & salubre, si quod aliud, consilium; ut, dum integrum est, perniciosum illum, qui te jam incessit, ludendi amorem corrigas. Magnum est quiddam vel in principiis præsens huic morbo afferre posse remedium, qui, si creverit semel, vix sanari deinceps, aut etiam mitigari possit. Ego certè, etsi majorem mihi ipsi facio vim, quàm tibi, tamen statui subtrahere viriliter fomenta illa, quibus crudescere malum potest & invalescere. Noli ergo expectare à me ullam pecuniæ partem, quâ funestum nutrias alexæ cacoëthes & insanabile forsitan efficias. Sed ama potiùs auream illam in amico fidem, quæ pravis amici cupiditatibus obsequendum minùs, quàm veris ipsius commodis serviendum duxerit.

Vale.

ARISTO

ARISTO

Pro recuperatâ Valetudine.

Gratulabunda.

Nihil ego jam vereor, Ariste mi, fateri palam
 timorem meum, & tibi ipsi magnitudinem
 periculi, quod tecum adivimus, aperire. At
 utrumque ex difficili morbo recreatus abstulisti:
 tantumque nobis gaudium vix sperata incolumi-
 tas attulit, quantum omnibus dolorem mali gra-
 vitas pepererat. Quanquam gratulare tibi, vel
 quod ad angustias tam graves deveneris. Equi-
 dem eximiam omnium in te observantiam, fidem,
 benevolentiam sanus ac valens expertus eras; at
 singularis pietas ac necessitudo, quâ tibi unum-
 quemque devinxisti, tum maximè patuit, cum
 salus tua maximè periclitaretur. Videbantur sin-
 guli perferentescere, quodcumque affixus ipse lecto-
 sentiebas; & morbi vel ingravescentis vis ac gra-
 vitas, vel ejusdem senescentis remissio amicorum
 in vultu legebatur. Noli igitur mirari, si tam no-
 bis ipsis, quàm tibi restitutum te priori valetudini
 gratulamur; qui unâ tecum visi sumus ex longâ
 ægritudine convalescere. Depulisti momento
 metus nostros, curas, sollicitudines; & hilarita-
 tem quandam singularem injecisti. Nunc vide
 sis, quanto studio valetudini tuæ consulere debeas,
 ex quâ tot hominum valetudo pendeat. Cave ne
 injuriosior nobis ipsis, quàm tibi videâre, si con-
 tentione nimia, & susceptis præter modum labo-
 ribus novum in discrimen salutem adduxeris. A-
 gitur non tua tantum sed Reipublicæ totius inco-
 lumitas;

luminas; neque peccare quidquam gravius tuam in salutem potes, quin eodem tempore in commune bonum pecces. Vale ergo & vive, si nos vivere & valere volueris.

A M I C O P O E T Æ,

Ut susceptum narrandi res à Gallis præclare posteriore bello gestas consilium exequatur.

Ad Hortandum.

Optimè facis, quòd res à Gallis posteriore bello gestas paras scribere. Nam quæ tam recens, tam copiosa, tam ampla, quæ denique tam poëtica, & quanquam in verissimis rebus, tam fabulosa materia? Dices immissa terris nova flumina, novos pontes fluminibus injectos, occupata castris montiù abrupta, expugnatas arces, subactas provincias, & quæ naturâ, ut vinci possent, non habebant, collectas totius Europæ vires ab unâ gente superatas. Una sed maxima difficultas, quòd hæc æquare dicendo oporteat; arduum quiddam, immensum etiam ingenio tuo, quamvis altissimè assurgat, & amplissimis operibus increseat. Sed nihil est quod arte, studio, labore vinci demum non possit. Proinde jure vatium, invocatis Dijs, & inter Deos, ipso, cujus res, opera, consilia dicturus es, immitte rudentes, pande vela, ac, si quando aliàs, toto ingenio vehere. Cur enim non ego poëticè cum Poëta? Illud jam nunc paciscor: prima quæque, ut absolveris, mitte; imò antequam etiam ab-
solvas,

solvas, sicut erunt recentia, rudia & adhuc similia nascentibus. Equidem potero fortasse scripta tua magis probare ac laudare, quantò illa tardius cautiùsque; sed ipsum te magis amabo, magisque laudabo, quantò celerius & incautiùs miseris. Vale.

ALEXANDER

*Arimazi Petræ Gubernatori salutem, &
cautam in deliberando Prudentiam,*

Suasoria.

ADsum ante urbem tuam cum invicto exercitu, paratus eam ingredi aut victor pacificus, aut durus expugnator. Non ignoras, quales nos simus, & rerum nostrarum fama etiam rupis excelsæ, quam incolis, ad fastigium pervenit. Occupatæ urbes, domitæ provinciæ, subacti populi victorias nostras loquuntur, réque, rebus tuis ut provideas, monent. Nihil est, quod faxeæ & inaccessiblei moli confidas, aut loci naturâ fretus aliquam vincendi celeritati afferre moram speres. Habeo milites, quibus nihil est tam invivium, quod non invadant, nihil tam abruptum, quod non exsuperent, nihil tam inaccessible, quod non evolent. Quare vide, quid agas. Statue, num te juvet Alexandri probare clementiam, an hostis vindictam experiri? Responde quamprimum; moras non patior; aut portas urbis reclude, dum loquor, aut me in ipso Petræ jugo, antequam dies crastinus luceat, conspicias. Vale.

ARI-

ARIMAZES ALEXANDRO

*Salutem & maturam ab inutili obsidione
Decessionem.*

Suasoria & Satyrica.

JAm senferam adesse te, & cum universo exercitu ante urbem Petram posuisse castra, cum tua ad nos Epistola perlata est. Atque ut fatear, quod res est, non potui non dolere Regis hactenus invicti fatum, qui rem tam arduam & humanis imperviam viribus suscepisset. Nam quid moliris, infortunate Princeps, aut quò te mala libido gloriæ incautum abripit? Equidem novi, quibus fretus victoriis & quanto fortunæ prioris fastu ad nos perveneris. At, si me audies, non obscurabis hodie rerum à te gestarum famam, neque tam celerem victoriarum cursum ad inaccessiblem rupem remorabere. Quas intentasti nobis minas fuitiles, sprevimus, ut par erat, neque aliud pertimescimus exitium gravius, quàm quod ignavæ deditiois dedecus afferret. Rupes nostras frustra despicias, nisi fortè milites habes alatos. Unum hoc deerat tibi, quo Petræ ad fastigium evolares. O factum malè, quòd in reliquis fortuna tam prodiga id unum tibi non permiserit! Tamen vel tibi alas provide, vel nullam expecta deditioem. Interim securi & incolumes victoris iras & inclementiam ridebimus. Vale.

AMICO

A M I C O

Expectatâ jam diu prole recens aucto.

Laudativa.

Attigisti tandem optatam votorum tuorum metam, Carissime. Prolem habes, qualem adesse tibi cupiebas. Næ gaudeo tuâ causâ plurimum, & immortales ago Superis gratias, quos tam amicos, tam ultrò indulgentes tibi expertus sis. Fuisset profectò durum quid nimis, si nomen illud, quod accepisti à majoribus, tot rerum domi forisque præclarè gestarum gloriâ nobilitatum unâ tecum interiisset. Provisum est feliciter huic incommodo, unde non leve damnum Respublica tota accepisset. Natus est tibi filius, qui partum decus tueatur. Hæredem habes, non avitæ modò sed & paternæ laudis futurum amulatorem. Felicem te tam beatâ sobole parentem, feliciorum filium, qui parente tali gaudeat! Neque enim, filium olim dum institues, & ad omne virtutum genus grandiorum promovebis, id tibi laboris incumbet, ut conquiras operosius illustra rectè factorum exempla, quæ filio imitanda proponas; habebit in te uno, quem respiciat, & unde sumat exemplum sibi; in te verò filius dum intuebitur, & præclara patris facinora memoriâ repetet; tantò se acriùs stimulari sentiet ad virtutem, quantò majorem ad excitandos animos exempla domestica vim habent, quàm aliena. Quid superest, nisi ut pro pueri incolumitate vota faciamus? Vivat ille! crescat in expectationem rerum

rerum tantarum ! Atque id si Superi nobis annuerint, nihil video, quod vel amicis, vel tibi expetendum sit. Vale.

A M I C O S U O

Ob missum recens editum ab eo Opusculum.

Ad agendas gratias.

Fecisti rem gratissimam, si quam aliàs unquam, Amice; qui opusculum à te nuper in lucem editum pro tuâ humanitate ad me miseris; pro quo dicere non possum, uti revera sentio, quantum tibi debeam. Legi illud semel atque iterum, neque retrahabo minùs suaviter, postquam eorum explevero curiositatem, qui libellum verè aureum ambiunt. Quanquam vix exorabo, quæ tua modestia est, ne suspiceris adulari velle me tibi, aut amiciùs sentire de te, tuisque rebus, si meam de libro tuo sententiam interposuero. At non recusabis iudicium multorum hominum, qui eruditi inter paucos & delicati palati apud omnes audiant. Illi sic extulère totius operis gravitatem, elegantiam, concinnitatem, nihil ut ad cumulatum ex omni parte absolute accedere posse arbitrentur. Verùm non est illud novum atque insolens, quòd à te tam eximium opus exierit, qui nihil nisi perfectum ingenio & elaboratum industriâ edere soleas. Perge, uti fecisti hactenus, promovere ram feliciter illam indolem, quam peculiari Superum

N

rum

rum munere ad Litteras nactus es. Ditescat operibus tuis Litteraria Respublica, & habeat in te semper magnum exemplum, quod politionis doctrinæ amantibus proponere ad imitandum possit. Hoc debent cæteris documentum, quos meliori, ut sic loquar, luto natura finxit, ut omnibus exemplo præluceant. Ego interim cum habeo tibi gratias amplissimas, tum providebo diligenter, ut ij, quorum est de præstantissimis operibus Litterariam Rempublicam admonere, opusculum illud non prætereant silentio, neque meritâ commendatione carere patiantur. Vale.

UXOR THOMÆ MORI

Ad Conjugem pro Religione Catholicâ in carcere detentum, & pro eadem subeunda mortis proximum.

Deprecabunda.

ERgo perstabis usque in sententiâ tuâ pertinax, Conjux amantissime, nec obstinatum moriendi animum exues? Nihil te piæ conjugis lachrymæ, nihil toties iteratæ preces inflectent? Heu! quæ te tanta libido mortis incescit, ut vitam oderis; & quod in vitâ tibi debuit esse carissimum, ultrò volensque abjicias? Nam cur in pervicem ruis, dum tuæ salutis arbiter, servare te incolumem potes? an tanti est, aut operæ tam difficilis illud, quod à te petitur, ut hoc redemptam vitam non putes? obsequere tantum Regis imperio, & obliviscere tanisper austeræ illius virtutis,

tis, cujus te custodem frustra rigidumque satellitem ostentas. Quid enim promotes, dum violentæ cupiditati frænum injicis, & sana consilia non audientem revocare ad officium pertentas? Nescis posse omnia Reges, quæ volunt, nec facile deterreri eos à volendo, quod libido semel persuasit? Sine illum suis vivere legibus, qui leges æquitatis non audit. Cur te alieno exitio implicas? cur amicos tuos, affines, liberos, conjugem tecum in ruinam abripis? Nam quod erit nobis te sublato perfugium? cui desolatam familiam relinquis? Quid agam tibi superstes? Fallosor; nec superstitem fore me tibi arbitreris. Unum idemque fatum nos involvet. Te sequar, quocumque iveris. Non me terret mors ipsa, nec ullum moris genus me timidam facit. Aut igitur tecum mori me jube, aut me vivere si voles, fac ut saluti tuæ quamprimum consulas.

MARCELLUS LENTULO

Adversis rebus Laboranti.

Consolatoria.

Non est, mi Lentule, ut reris, magnis viris amica semper fortuna. Imò ea est plerumque illius inconsiderantia atque cæcitas, ut, dum probatissimos & omni laude cumularos viros deprimit, homines nullius nominis evehæ atque extollat. Id verò, si miseris omnibus, tibi certè fortis acerbiter expostulanti singulari debet esse solatio. Cùm enim ærumnosum te & infelicem fatentur omnes, tum nemo est, qui egre-

N a

gias

gias animi tui dotes palàm non prædicet, constanterque defendat, nullum unquam extitisse, in quem iniquius, quàm in te, fortuna peccaverit. Hanc ergo, quam concitasti opinionem tui, vide, ut tueri ac sustinere possis. Debes omnibus exemplum illius constantiæ, quam in utràque fortuna exhibendam toties ipse pronunciasti. Noli tamen abjicere spem omnem fortunæ melioris. Ut est illa cæca, ita & naturâ suâ levis; quo fit, ut, quàm temerè descivit à quibusdam, tam facilè ad eosdem revolet.

FILIUS ADOLESCENS
P A T R I,

Ut agere Personam in Theatro sibi liceat.

Petitoria.

Q UOD commendasti mihi sæpiùs, ut singularem in dicendo leporem ac gratiam concesser assequi, id ego, Pater amantissime, non cesso frequenti usurpare memoriâ, &, quæcumque se offerunt id perficiendi, quod cupis, occasiones diligenter aucupari. Verùm inter cætera, quæ juvare adolescentem possunt, & in perfectâ dicendi facultate fructus uberes meditantem promovere; nihil vidi hæctenus, quod plus animi simul ac roboris afferret, quàm ea, quæ in exhibendis Tragædiis adhiberi quotannis solet, exercitatio. Equidem nôvi rem esse arduam ac difficilem, personam tam solenni in Theatro sustinere. Tamen nisi me fallunt ij, quorum eq-

de meâ qualicumque ad eam rem facultate ferre
 iudicium; ac nisi de me ipso, quid sentiam apud
 parentem amantissimum deponere dubitem; non
 postremas fortè in agendâ personâ etiam prima-
 riâ partes ferre possim. Est mihi non inuenta
 quam laudâsti ipse, corporis conformatio, non
 inelegans incessus, actio satîs liberalis. Acce-
 dunt latera firma, canora vox & distincta, quæ
 capacem aulam impleat. Adjecit, ut fatear quod
 res est, incitamentum non leve illa, quam sibi
 annis posterioribus sodales mei pepererunt, in
 hac palæstrâ nominis commendatio. Incendit
 etiam desiderium, quod audio omnium rumo-
 ribus jactari, Tragœdiam fore hoc anno bellissi-
 mam. Virum nôsti, Pater, qui solennes ludos edi-
 turus est, proh! qualis & quantus! quàm læta
 sub tali magistro uberrimi fructûs spes affulget.
 ô si filio carissimo indultum id velis! ô si hanc
 facias bonus, quam peto, exercitationis copiam!
 nullus ego dubitem, ita me affectum sentio,
 quin me non declamationis modò, sed etiam
 eruditionis donatum Laureâ sis amplexurus. De-
 terrebunt fortè quipiam, quominùs id annuas, &
 difficultatem temporum causabuntur. At quan-
 tula impensa est, hanc si cumulata patris lætitia
 compenset! Hoc providere meum est, Pater,
 ne te pœniteat comptem me votorum effecisse.
 Vale.

RESPONSIO PATRIS.

Lætor ego plurimùm, Fili carissime, qui te
 nactus sim paternarum præceptionum tam
 memorem. Memini sanè commendatum
 tibi à me diligenter, cum te Musarum in discipli-

N 3

nam

nam educandum traderem, ut leporem in dicendo, quàm posses venustissimum, consecraret. Nihil me facti pœnitet, imò studium in eâ re tum non cessabo, quantum in me erit, vehementer incitare. Neque verò me fugit valere ad eam rem plurimùm frequentem in dicendo exercitationem, & inter reliquas, illam vulgò commendari, quæ in Tragœdiis adhiberi solet. Videbor tibi fortasse plus æquo timidus pater, & contra parentum indolem de filio non satis commodè augurantem accusabis, si te audacem plusculum, & de viribus tuis præsumentem confidentiùs arguerim. Magnum quiddam est, Fili, quod vereor factis ut intellexeris, coram tam celebri cœtu personam tueri regiam, & confertam ex omni genere hominum multitudinem tenere dicendo posse. Ipse quantumvis bella sit actio, quæ exhibetur, nam facile tibi assentior dum scribis fore illam bellissimam; quantumvis, inquam, actio illa bella futura sit, parùm interest, mihi crede, nisi par in Actoribus venustas respondeat. Habes equidem in sociis, qui posteriore anno suas in eodem loco egere partes, magnum exemplum pariter & incitamentum; at quò feliciores exitus habuere, eò vereor magis, ut ad tantam laudem pervenias. Tamen vincis & expugnas patrem, Fili carissime, dum spem obtinendi in Theatro præmii non levem moves. Id ego tantò lubentiùs adducar, ut credam, quòd scio in te uno esse positum, nec parvum iri à te laboribus, ut hoc amantissimo patri solatiolum impertias. Quare bono esto animo, hoc si feceris, ut videris polliceri, nulla in me mora est, quin Actorum in album, tuum nomen, cum voles, referatur. Neque tu verò impensis metue, vel sumptibus; liberalem patrem habes, tuisque commodis & oblectamentis cupidissimè servientem.

FILIUS

FILIUS PARENTI

Ut emuncta Crumene jacturam resarciat.

Queribunda cum Deprecatione.

Rem mihi funestissimam, tibi que ipsi, Pater amantissime, nisi mederi posses, luctuosissimam! Fures pessimi, quod erat in loculis cumque, nequiter surripuerunt. Diverterat, ut fit hoc tempore, celebres ad nundinas tuus Pamphilus; atque inter eundem spectandis histrionum nugis dum otiosius inhiat, nam quid ego imprudentiam ipse meam dissimulem? Ecce positum reconditiore in perâ numatum bene marsupium misero furtim subtrahitur. Equidem sensi prædonis manum, furem in clamavi, astantium turbam commovi: at seriùs. Jam aufugerat latro pessimus meis beatus numulis. Nullâ mēne tam amplâ in urbe restim esse, quæ genus istud hominum improbissimum conficiat? Ex illo, Pater, nulla fluunt pauperculo poëtæ carmina; Musas ferreas, æreum Apollinem experior. Est enim, si nescis, gens illa Numinum, quam colimus, difficilis, morosa, & rebus suis, suprâ quàm dici potest, attenta: ac nî qua dolosi numi spes refulserit, oleum è saxo potiùs, quam Pegaseum ab ipsis melos extuderis. Jam si velis, Pater, revocare spatium præteriti temporis, & memoriam pueritiæ recordari ultimam, nôsti, quàm ineptam & elinguem personam agat adolescens, cui nihil est in loculis. Ego certè malim ensē militi, medico succos ac pharmaca, causidico lites, mihi ipsi

libros ac calamos eripias, quàm numulos, valentissimum, si quod est aliud studiorum administriculum. In his rerum mearum angustiis tuum est, parentum optime, aliquo Pamphilum tuum recreare solatio. Tu quereffis & dolori facies modum aliquem, cùm voles. At si quid filio bonus indulseris, beneficio sic utar tuo, ut me ceteris in rebus, quod tu merito tuo postulas, & ego præstare debeo, habiturus sis ad omnes voluntates tuas paratissimum.

RESPONSIO PATRIS.

Joculatoria & Satyrica.

ERgône verum est, quod scribis, Fili amarissime? Quid? subrepta tibi crumena est? nihil fingis? nihil dissimulas? Equidem ego vix adduci possum, illud ut credam, aut eam tibi facere injuriam velim; tibi inquam, puero, quem novi tam emunctæ naris. Saltem non vit furum ille pessimus, qui tali te affecit contumeliâ; facinus vindicâsti fortiter? Id enim suspicor, tametsi videris illud subtricare. Nam cur subsidium restis imploret, aut eâ velit uti ad conficiendum latronem improbum, cui lethifer ensis hæreat ad latus? Unum est saltem, quod in hac qualicumque calamitate tuâ gratuleris tibi. Nihil erit deinceps, quod metuas ab ejusmodi sycophantis. Poteris magno tuo commodo atque etiam otio curiosos oculos pascere, & pidas histrionum omnis generis nugas spectare a symbolus. Vide tu autem, ut, quam Musarum & Apollinis nomini labem inuris, eam ablergas

gas quamprimùm, & malè jam cohærentem gratiam revincias sedulò ac consuas. Non sunt illi, ut reris, tam avara Numina, aut suis rebus tam attenta. Imò senties, quanto libentiùs suas illis opes largiantur, quòrum animus vacat eâ sollicitudine, quam divitiæ pariunt. Utinam ego, Fili amantissime, tam ingeniosus olim atque industrius extitissem, quàm esse te revera mihi gratulor. Quàm facilè caruissem illis adminiculis, quibus puerorum vulgus indiget! Valeant illi, qui, nisi numulis abundant, oblectare animum vix nòrunt. Tibi tam faceto naturâ tuâ, tam hilari, tam callido, quid deesse possit, quod in te uno non habeas? Cæterùm amo in te plurimùm studium illud, quod præ te fers, implendi diligenter singulas officii tui partes, neque te laudare satis possum, quem tam obsequentem, tam docilem, tam cereum experior. At sentirem de te parùm honorificè, nisi te unius gloriæ desiderio ad optima quæque inflammatum arbitrarer. Fruere ergo laude illâ, & in patris benevolentia conquiesce.

FILIUS PARENTI
AMANTISSIMO.

Calendis Januariis recurrentibus.

Officiosa.

Est hæc recepta jam diù laudabilis ubique consuetudo, ut redeuntibus anni cujusque primordiis liberi fausta omnia Parentibus apprecentur. Hunc ego morem ita teneo,

N 5

Pates

Pater colendissime, ut non tam ille me, quam singularis quædam in parentem amantissimum pietas atque observantia officii mei admoneat. Sentio enimverò multò meliùs, quam eloqui possim, quantum tibi debeam pro liberali illâ, quam tam sedulò mihi provides, educatione; & quò sit major annorum accessio, eò majus intelligo requiri à me grati ac memoris animi monumentum. Tamen quid ego tibi pro tuâ charitate voveam ac precer, Pater amantissime? Neque enim aut novas opes aut honores novos animus est tibi postulare; erit hic Superis labor, ea sollicitudo, ne sua probitati virtutique præmia defuerint; & quem tot suis ad hoc usque tempus muneribus cumulârunt, in eodem deinceps magis ac magis exornando beneficia tuebuntur sua, & perpetuitatem adjicient. Est aliquid aliud, mi Pater; quod esse tibi noverim antiquius, & quod in aliquâ filii tui facultate positum videri possit. Scio quantopere desideres, quod & ipse significasti mihi non semel, promoveri in me feliciter institutionem bonam, quam impertis, & piam, quam pro me geris, solitudinem suo fructu non carere. Miserum me! nisi hac saltem parte conspirare tecum videar, enitârque viriliter, ne te impensè olim in educando filio laboris & amoris pœniteat. Ita spondeo, mi Pater; neque perfidum vereor dicere Sacramentum. Quantum erit in me facultatis & industriæ, sic apponam lucro, sic insistam vestigiis, quæ contrivisti ipse tantâ cum laude, ut, cum ætas creverit, non ita degener à paternâ virtute videri possim. Vale.

M A T R I

Filioli sui plus aequo Amanti.

Objurgatoria.

Video equidem quàm importunus ego, quàm molestus censor habendus sim, qui amorem illum, quo filiolum, non tam complecteris, quàm perdis, non verear insimulare: Tamen vel si defugere non possim periculum offensionis tuæ, dicam ingenuè, quod sentio, & damno etiam meo, sinceritatis cultor, quàm adulator turpis malim videri. Plaudis nimirum tibi, cum blandiris puero, cum figis oscula, cum feroculum etiam plerumque foves in sinu. At, si nescis, catulos suos dum suavius osculatur Simia, dum stringit arctius, eosdem imprudens ac stulta nimium enecat. Tu quid facis aliud, dum Pamphilo tuo per fas ac nefas indulges impensius, nisi adolescentem miserum Simiarum more perdis atque exterminas. O si videres, quanquam videres id fatis, nisi te amor præpoiterus obscæret. O si videres, inquam, qualis è complexibus tuis excedat! quem demum ex illâ disciplinâ tuâ fructum reportet! ut otiosus totus ac deses! ut fugitans laboris, ut fastidiosus Literarum, ut eruditionis bonæ osor perünax, ut asper monitoribus, ut increpationis impatiens, ut plenus sui, ut insolenter arrogans! Nam quem ille vel audiat, vel sequatur, vel metuat, dum matris in umbrâ, tanquam præsidio munitus inexpugnabili, magistrorum consilia, ammonitiones, minas despicit? Neque tu verò aut nullas aut etiam seras mollioris indulgentiæ

. pæ-

pœnas dabis, cùm factus ille in omni vitæ parte licentior & ad quælibet Reipublicæ munia ineptissimus, acceptam à Majoribus gloriam non modò non tuebitur, sed ignaviâ turpi, fœcundiâ, libidine dedecorabit. Tum intelliges, quàm perniciosus fuerit amor ille, qui tibi jam illudit, tum mœderi malo voles, quod medelam nullam admittet. Monebis ipsa vicissim, adolescentem argues, indolem pravam, vitia incusabis; excitare tentabis ad magna quæque torpentem ac senescentem animum; contumacem, perditum, consilii boni contemptorem corripies nimirum, & intentatis etiam minis, percellere ac revocare ad meliorem frugem conaberis. At frustra; neque bene monentem audiet, neque graviora minitantem reverebitur. Hic erit fructus amoris illius tui, hoc mollioris indulgentiæ solatium feres. Desine ergo illecebrarum hujusmodi: reprime viriliter & intra legitimos fines contine præposteros exitialis benevolentiae impetus. Habes aliud, unde maternus amor se prodat, nec incurrat tamen pœnitendi periculum. Provide filiolo illi tuo, quem amas, institutionem bonam, nullis parce sumptibus, ut peritos pariter atque incorruptos moderatores sufficias; studium laboris, doctrinæ desiderium, bonarum artium æmulationem quoquo pretio teneris animis ingenera; occurre diligenter nascentibus & erumpentibus primùm vitiis; castiga prudenter fœcundiam, malorum omnium fontem teterrimum. Denique eâ te lege tantùm amicam aut etiam blandientem, si voles, sentiat, ut singulis officiorum suorum partibus sedulò ac constanter defungatur. Vale.

AMI.

A M I C O

Quem iniquus rumor sparserat ex gravi morbo fuisse extinctum.

Officiosa & Gratulabunda.

Vivis, Amice, neque verus ille rumor est, qui te extinctum referebat? O rem lætam! ô me præter exspectationem omnem felicem ac fortunatum! Equidem fatebor quod verum est, Charissime; nunquam ego sensi melius, quantopere te diligerem, quàm cum funestum ad me nuntium delatum est, unde intelligebam te mihi carendum esse in perpetuum. Nam quasi latuisset mihi ad hunc usque diem, quod tamen probè noveram jam diu, esse in te fidem egregiam, eximiam charitatem, indolem suavissimam, & cætera omnia, quæ dulcissimæ necessitudinis vincula sunt; tu visus mihi de integro amicus tam comis, tam fidus, tam obsequens, numeris omnibus tam absolutus, ut sine te vivere me posse desperarem. Hinc æstima, si potes, quantus ex eo die mœror animum incesserit! ut me tæderet ulterioris vitæ, quam jucundissimo destitutam solatio arbitrabar! ut mihi dies noctesque obversabâre menti, & novum usque ægerrimi doloris momentum afferebas! Sed quid ego hæc? aut quid in re tam luctuosâ diutiùs immoror, ubi tam ampla lætandi sèges occurrit? Tamen ignosces pro tuâ humanitate. Videor enim mihi unus eorum de munero, qui periculosum passi naufragium, & amicum tandem portum ingressi tantò suavità retractant periculi

riculi

riculi memoriam, quando gravius discrimen incurrere. Ceterum cave deinceps, valetudinem ut cures tuam diligentius, quam fecisti; ac si te tua ipsius salus tam parum commovebit, cogita, etiam atque etiam precor, hoc esse amici tui fatum, ut ab incolumitate tuâ sua ipsius salus dependeat.

A M I C O

Rebus prosperis plus æquo superbienti.

Ad Commonendum.

Morosus ego præter modum fortasse tibi, mi Theophile, aut etiam lætioris fortunæ, quâ frueris, invidus quibusdam videar, qui intempestivis admonitionibus tua inturbare gaudia sustineam. Absit hoc à me! Nemo hominum est, mihi crede, quantum est, qui vivunt, qui res tibi secundas cupidius velit, aut easdem tibi lubentius gratuletur. Esto; per me licet, frui bonis illis, quæ tibi Superi liberalius indulserunt; gaude etiam lætâ illâ sorte, quam iisdem faventibus adeptus es. Gaudebo tecum pariter, & illa bona tibi ut propria faciant, ultrò precabor. Tamen non cessabo monere te diligenter, ut insolentiore lætitiâ abstinereas. Hoc relinque pusillis, siveque non satis compositibus animis, ut rerum ex voto fluentium copiâ superbius efferantur, neque ullum fortunæ ridentis ad aspectum servare modum possint. Postulat invictæ mentis constantia, ut non minus casus inter prosperos, quam inter adversos re-

Cum

Etum animi tueri sustineat. Quod nisi valeat assequi, quibus se demum periculis, fortuna filius, quisquis erit, objiciet! Est enim hæc, ut satis nosti, Numinis illius indoles, ut mutabilitate maximè gaudeat, & superbos etiam triumphos tristissimis vertere funeribus delectetur. Hanc verò reflantis fati sævitiam tantò gravio-rem sentire quis solet, quantò suavius blandien- tis illecebras degustârit. Tum verò lætitiæ suc- cedit dolor, & immoderatos risus amari fletus occupant. Vide ergo, mi Theophile, ne quid rebus in prosperis admittas, cujus in adversis te pœniteat. Ita porro, si me audias, fortunam feres tuam, ut si, pro mobilitate, quâ viget, à te recesserit, eâ faciliè carere possis. Vale.

DEMOSTHENI

*Qui ex acie cùm fugeret & adhesisset
Rubo inter fugiendum, disertam ad
Rubum ipsum, quem hostem crederet,
Orationem habuerat.*

Jocularis & Satyrica.

Quibus ego te verbis prosequar, Amice mi? quâ gestientis animi significatione, gratulabor tibi periculi magnitudinem, quod sospes & incolumis evasisti? Fatere nunc demum gravissimos esse bellorum casus, quibus ferendis virtus quantumvis heroica vix ac ne vix quidem sufficiat. Quanquam accusare satis non possum
hostis

hostis illius vel temeritatem vel impolitiam, qui te sic occupavit incautum, & quem aggredi per-
 timuisset à fronte, fugientis tergori laqueos te-
 tenderit. Non nôrat ille profectò, qualis vir
 fores; quem si contigisset talem suspicari, reve-
 rendum sibi potius, quàm laceffendum Adver-
 sarium censuisset. Ut enim feritatis oblitus suus
 est, cum sensit, quicum sibi res incidisset! ut
 auditâ Demosthenis voce ab inferendâ contu-
 meliâ statim abstinuit; ut horridus totus & exer-
 tis metuendus aculeis refedit ultrò, placatusque
 tibi est! tantùm ad mitigandam hostis rigidi-
 speritatem tua valuit facundia! Nihil est dein-
 ceptus, Amice, quòd ullas armorum vices peri-
 mescas, aut fugiendum tibi putes ex acie, cum
 deficiet animus & mortis metus ingruet. Habes
 in eloquentiâ tuâ certissimum adversus quacum-
 que Martis aleam præfidium. Quis erit ho-
 stis tam ferus, tam barbarus, tam avidus carnis
 & sanguinis, qui resistat tibi, quem non exar-
 mes, postquam rigidum, asperum, humanitatis
 omnis expertem Rubum vicisti, superasti? Fel-
 ces porrò & fortunatae nimium Athenæ, quæ te
 alumno gaudeant! securas esse jam illas volo,
 quid consilii Philippus capiat, quid machinetur,
 quid paret, dum te sospitem salvumque Athe-
 niensis populus sibi gratulabitur. Habebit ille
 propugnaculum, cui tanquam infelici scopulo
 virtus hostis allisa succumbat. Tu verò lætam
 in urbem quamprimum advola, frueri votis o-
 mnium, & gravissimâ reductus tui expectatione.
 Jam prævit dudum victoriæ tuæ fama, & om-
 nium animos suavissimâ cogitatione devinxit.
 Plausus excipe, quos meritus es, & qui paratus
 virtuti tuæ, triumphum præstolare. Vale.

ADO.

ADOLESCENS NOBILIS
PATRI,

*Ut patiatur se abjecto Litterarum studio
ad Bellum proficisci.*

Ad Deprecandum.

Quod jubes, Pater amantissime, ultrò ac volens exequor; chartis impallesco totus; ac licet exiguo admodum fructu, aut etiam nullo; hoc mihi est ad solatium satis, quòd me audientem dicto, & ad quoslibet nutus tuos obsequentem habes. At si penitissimos animi mei recessus, cum eâ, quâ par est, observantiâ, amantissimo Patri recludere liceat, nihil ego dubitem confiteri, quantò lubentiùs, abjecto Litterarum studio, militaris disciplinæ labores amplecterer. Nam quid diutiùs hîc moror, & primævum Juventutis florem ac vigorem frustra contero in his studiis pertractandis, quæ summum pariunt nullo cum emolumento fastidium, quibus & ineptam prorsus indolem experior. Quantò meliùs ac feliciùs tractarem arma, Pater! Ah! nisi me voluntatis tuæ ratio, cujus imperium & verebor semper & amabo, intra Gymnasii septa retineret, dudum me grandiozem jam natu inter puerorum greges & Myrmidonum catervas otiosi turpiter piguisset: jam erupissem è latebris, & ad arma convolâssem, quorum desiderium, & amorem nihil est hîc penitus, quod nò acuat & accendat. Nam quoties permixtos Achivis Troas lectito, utinam, tacitus ego mecum medias inter Batavorum ac Germanorum acies ita-

O

rem,

rem armatus ! quas non hostium frages ederem ! Si decertantes video commilitones de ingenii laureâ, continuò increpitans moras exclaimo, quantò nobiliores in campo Martio laurea demeterem ! Cùm edita passim à veteribus Romanis fortitudinis exempla narrantur, tum animo subeunt illustria Majorum nostrorum, tuâque ipsius, Pater amantissime, facinora, quorum æmulator esse, si per te liceat, quamprimùm velim. Hoc patere, amabo, Pater, hoc indulge charissimo filio, virtutis tuæ testis ac specularor esse, dum bella fervent, ut possim. Nihil te hanc mihi fecisse copiam pigeat, nec si bene me novi, degenerem ab avitâ virtute filium videbis. Vale.

RESPONSIO PATRIS.

Ad Commonendum.

Equidem, Fili amantissime, laudare satis non possum, quam præ te fers placendi nihil & obsequendi voluntatem. Est hoc indolis illius, quam suavissimam nactus es, hic fructus est Institutionis bonæ, quam dedi, quem uberrimum extitisse, mihi vehementer gratulor. At num ego tibi videbor fortè durior pater, si, quod à me postulas tam enixè, item & tam modestè, infectum velim ? Sic est tamen, Fili amantissime : non probatur Patri quod petis, neque me si amas, quod decurris Litterarum studium abrumpes. Atenim ingenio non vales, & in Litteris parùm proficis : modestum te sanè plus æquo, & abjectiùs, quàm par est, de te ipso sentien-

rientem ! Absit, Fili amantissime, ut tam inju-
 rius ego tibi sim, quam tu tibi ipse es. Aliud
 dedisti nobis & ingenii & profectus tui monimen-
 tum. Ten' ignorares ipse, an me parum per-
 spicacem aestimasti, qui excusanti tibi aut ingenii,
 aut eruditionis tenuitatem assentiâr, dum idip-
 sum, quod affirmas, tua ipsius Epistola inficiatur
 penitus ac confutat? Nam quid Epistolâ illâ aut
 elegantius scriptum ac polius, aut disertè ma-
 gis ac latinè exaratum? Pudet te inter Puerorum
 greges ac Myrmidonum catervas versari? Hoc
 ipsum, quod quereris, tibi laudi vertet, si vo-
 les. Age; ita te compara ad capeffendas libe-
 rales disciplinas, ut non invitus ac reluctans, sed
 ultrò ac volens ad studium incumbas; & quod
 illi præstare solent moderatorum metu, eo tu
 rationis unius momenti impulsus defungi videar-
 is. Hæc te ratio, mihi crede, puerorum vul-
 go eximet, & quanquam vix dum excessisti pue-
 ritia terminos, maturi ante annos viri laudem
 occupabis. Restat ut præfervidæ, quâ flagras
 gloriae cupiditati frænos injiciam; non quòd im-
 probem illam, quam significas, dignam natali-
 bus, dignam Majoribus tuis æmulationem. At
 suum erit aliquando colligendæ in campo Mar-
 tino laureæ tempus; noli interim Apollineas de-
 dignari palmas, quas & Majores illi tui, quorum
 te sedulum imitatore exhibes, in eruditionis
 ingeniique palæstrâ messuerunt. Quare, si quid
 Patri bene monenti credis, perge ut cœpisti, &
 dum te Litterario in ludo non tam infeliciter
 exerces, Patris amantissimi benevolentiam pro-
 merere.

AMICO

*Ad Aquas Borbonias Valetudinis gratiâ
profecto.*

Officiosa.

UT vales, Amice? an attigisti feliciter be-
tum ac salubrem portum, quò contende-
bas? Nihilne fatigatus ex itinere longio-
ri, tempestate præsertim tam pluviam, tam incom-
modam? Ego certè dolui non semel tuam causam,
quòd ad cæteras viarum molestias tempus hy-
berno simile accederet. Cavebis autem, si nos
amas, ne ad potandum venias prius, quàm col-
legeris te te, & haustam è difficili longaque pe-
regrinatione defatigationem interjectam tantisper
quiete recreaveris. Sed unum est præterea,
quod te sedulò moneam, absque quo foret, ut
Borbonium fontem, quantus quantus est, frustra
exaurias. Hoc scilicet provide diligenter, ut
curas omnes, multò magis animi sollicitudines
deponas. Hæc est aquarum illarum, quibus in-
dulgere cogitas, indoles, nullam ut anxietatem
aut tædium societatis in partem admittant. Esto
igitur totus in exhilarandam mentem & in curandam
singulariter cuticulam. Habebis illic multos, mihi
crede, festivioris lætitiæ socios, quos Borbonium
in pagum eo convenisse consilio deprehendes.
non tam ut compotores essent aquarum, quàm
ut suavissimo beatiorum hominum consortio
fruerentur. His tu utere ad levanda remedia-
rum fastidia; cum illis ride, jocare, lude, neque
te pigeat, positam tantisper gravitate, etiam in lo-
co desipere. Hoc tibi, hoc amicis, hoc vale-
tudini

tudini tuæ debes, unde tanta ad Rempublicam totam utilitas pertinet. O si, epotis largiter aquis illis salubribus, redire ad nos possis valentior, quàm profectus es! ô si fons Borbonius, infirmitatis quidquid est, auferre penitus ac depurgare valeat! næ illum ego ipsi Hippocrenes fonti, quo me proluo quotidie ad satietatem, prætulerim. Hæc me porro spes læta atque fiducia reficit, & longioris absentia tuæ, quâ penè jam exanimor, molestias consolatur.

A M I C O

*In extremis Gallia partibus commoranti,
de insolitâ Cæli intemperie, quæ tra-
ctum Parisiensem afficit.*

Ad Narrandum.

UT se habet isthic cæli temperies, Charissime? quis apud vos aëris habitus dominatur? an æstatem demum post diuturnum brumæ tempus attigistis? Nobis certè tam perturbata cæli facies, tam insolens tempesta obtigit, ut in medio penè Junio aut hyemem, aut etiam graviozem autumnum experiamur. Id porro quæ fiat, vel quæ possit esse causa tam incommodi temporis, magnum inter graves doctosque viros controversiæ argumentum est. Alii, quibus ego minimè assentior, tantam intervenisse non putant aëris insolentiam, nisi quòd finituri jam jam mundi metas ferè contigimus.

O 3

quo

quo tempore rerum omnium magna ubique perturbatio regnabit. Alii, qui telescopiorum beneficio, quæcumque in supremâ cœli parte gerantur, pervidere se ipsâ meridianâ luce clariùs æstimant, ajunt superinductam solis corpori crassorem quandam crustam, cujus vitio fit, ut vix ac ne vix quidem solares radii sentiantur. Alii denique id contingere solitum sæculis quibusque defœrentibus defendunt, quibus ego lubens atque ultro crederem, id si visum à se quis profiteri posset. Ut ut est, solitæ in ejusmodi rerum adjunctis preces Parisiis indictæ sunt, quibus imminentem toti regno annonæ charitatem, & irreperentes periculosos ac frequentes morbos avertere liceat. Concurritur civitate totâ ad ædem **B. Genovesæ** sacram. Illuc quotidianæ magnæ solennique pompâ conveniunt supplicationes, & ad ejus loculum affusi magno pietatis sensu populi, quam toties perditis in rebus opem experti sunt, eandem adesse sibi nunc temporis etiam atque etiam precantur. Hinc omnis, si qua est fiducia, hinc lætioris temporis expectatio affulget. Tu, si quid ejusmodi in extremis Gallie partibus positum sentirent, si non meliùs vobis esset, quàm nobis, fac nos, quæso, quamprimum per litteras certiores.



HERACLITUS

*Democrito res humanas perpetuo risu
excipienti.*

Queribunda.

Rides, Democrite, & perpetuò quidem rides, si quid sparsis de te rumoribus creditur? Hoc credam, te sapientem virum, qualem jactitant, ridere rebus in humanis posse? Imponunt tibi, video, homines malevoli, & famæ tuæ obtrectatores. Quanquam inveniunt illi fidem, dum rem in confesso esse apud omnes profitentur. Hoc si ita est, Democrite, quod ego velim tuâ causâ revocare in dubium, donec tuum ipsius testimonium accesserit, hoc si ita est, putas, non sapientiæ dicam, sed humanitatis esse, sic insultare miseris hominum, ut, quæ amarissimo sunt digna fletu, hæc inepto procacique risu cavilleris? Nam quid est, amabo, in vitâ hominum, qualis hodie se offert, quod perennibus defleri lacrymis non debeat? Quotus est hominum à rectâ virtutis semitâ non devius? Quis audire rationem vitæ ducem, quis ex illius normâ præscriptoque vivere vel novit, vel sustinet? Cedo mihi aliquem, qui cœlestem sapientiam scrutetur; multò minùs qui inventâ gaudeat, aut eâ se contentum ac felicem existimet? Hic in quærendis cumulandisque per fas ac nefas perituris opibus totus est. Ille turpissimo volutat se se voluptatum in cœno. Ille inani & ambitioso honorum fumo se pascit. Exulat ab amicitia veritas, à societate fides, pietas à propin-

O 4

qui-

quitate. Mutuis se se omnes odiis atque infidiis petunt. Alius litigat cum amico, alius cum affini contendit; insurgit frater in fratrem, filius parenti non parcat, nec parens vicissim ullam sanguinis sui rationem habet. Hanc tu miseram luctuosamque rerum omnium perturbationem indigno risu exciperes? Ah! si quid hujusmodi commissum à te fuisset, risum, mihi crede, converte pias in lacrymas, si quam habes bonae sapientiae particulam. Mihi certe, si tibi secus faciendum duceres, fixum statutumque est, humanas, uti jam coepi, miseras perpetuis tota vitae lacrymis deplorare.

DEMOCRITUS

*Heraclyto res humanas perpetuo fletu
prosequenti.*

Jocosa.

NÆ me tui miseret plurimum, Heraclyte, qui perpetuis inanibusque lacrymis torqueas te ac maceres, tuamque in ea re ponas sapientiam, ut semper & sine fructu ullo doleas. Magnum habere te oportet aquarum in cerebro receptaculum, quarum ita sis liberalis ac prodigus, ut nullus te inveniat dies fletibus non indulgentem. Quanquam quid est, amabo, quod ita plores ac lugeas? quid in orbe terrarum universo, perenni dignum fletu objicitur? Scilicet desipientium aut etiam furentium hominum caecitas lachrymas movet? Prohi! quantum tu

te opinio fallit, Heraclite ! quàm longè erras à vero ! Quid si demonstrarem tibi vel hac ipsâ luce, quam aspicias, clariùs, dignum esse risu perpetuo, quod jugibus lachrymis prosequendum putas ? Unum ego te velim hujusce rei judicem atque arbitrum, si modò temperare tantisper à fletu velis, dum ego te vera sapere edoceo. Atenim nemo est, qui à rectâ virtutis semitâ non deviet, qui rationem sequi vitæ ducem, & ex illius normâ præscriptioque vivere vel nôrit, vel sustineat ; & illos tam ridendos non putabis, quàm si ambulare quosdam inversis pedibus & deflexo deorsum capite aspiceres ? Nullus celestem scrutatur sapientiam, aut inventâ gaudet, aut eâ se contentum arbitratur. Stulti nimirum & explodendi jure merito, qui cæcutire malint, quàm fulgentem ubique lucem intueri. Hic opes congerit, ille se pascit honorum fumo, alter voluptatum illecebras venatur ; pueros puta in ædificandis casulis occupatos, ridebis. Rixæ ubique, contentiones, jurgia inter amicos, affines, ac propinquos regnant ac dominantur : insanire omnes, uti revera insaniunt, crede ; risum excutient continuò, nunquam lachrymas. Denique quidquid videris uspiam vel audieris, si eo, quo par est, modo accipias, valere jubebis lachrymas tuas, & meum ridendi morem imitabere. Quare si sapere voles in posterum, Heraclite, horridam illam rigidamque sapientiam lætiore illâ ac faciliore, quam profiteor, commutabis : quâ ego in consecandâ id sum natus commodi, ut vacuum omni sollicitudine & plenam hilari gaudio vitam semper duxerim. Porro hunc esse germanum veræ sapientiæ fructum existimavi semper, qui ad procreandam

O 5

huma-

humano generi felicitatem ac lætitiã plurimum conferret.

A M I C U S

In secessu suo rerum æternarum meditationi vacans.

Ad Amicum civilium curarum undis immersum.

Ad Narrandum & Hortandum.

Mirum fortè tibi videbitur, Charissime; quòd è secessu meo animum induxerim ad te scribere, qui abiens visus fueram polliceri, velle me ad tempus rebus omnibus valedicere. Tamen nolim existimes, hoc nihil fuisse unquam propositum, ut omnem prorsus amici memoriam mihi interdicerem. Næ durior fuisset illa lex, imò & iniqua, nì quid impertirem tibi illius solatii, quò fruitor amicus tuus, dum sibi Deoque totus vacat, & æternis rebus contemplandis intentus est. O verè beatorum fortunatùmque tempus illud! ô tranquillos & suaves illos dies, quibus raptus extra se, ut sic loquar, animus, & corporeis vinculis quasi jam liber, nihil mortale, vel perituum sapit! O jucunda pax illa mentis atque tranquillitas, quã terrenæ conditionis immemor anticipato felicitatis æternæ gustu recreatur! Sed quid dicam tibi, aut potius quid non dicam? Nam cur intimos cordis mei recessus dubitem aperire? Ut illa

illa fordescunt omnia, quæ vulgus hominum tanto reponit in loco, meditati serid, quod supernum est! Ut vanas mortalium curas reputat, qui solliciti mirum in modum de stabiliendâ fortunâ fragili ac luteâ, cælestes aspernantur opes, aut easdem certè, quasi nihil pertinerent ad se se, negligunt! Sic est, inanem rerum umbram plerique sequimur, & fucatâ boni specie patimur nobis illudi! Utinam hîc adesles mecum, Amice, & breve cum terrenis solitudinibus divorcium sustineres! Utinam experireris ipse, quæ sentio, & quæ te sentire pariter velim. Tam enim miserum videtur mihi quod amat cùmque, quod sectatur bona pars hominum, hodie qui vivunt; tam fastidiosum incipit esse, quidquid Deus non est, aut cum Deo non penitus conjunctum; ut tibi vel ipsi quantumvis amico, absit verbo injuria, nuncium remittendum putem, nisi me sustentaret illa spes, fore ut illos, quibus ego afficior, sensus habere possis, & quem facere didici rerum humanarum contemptum, eundem ipse uberioribus divini luminis radiis illustratus præ te ferre assuesceres. Sed quid ego hæc verbosius in Epistolâ? Plura dicemus coràm, interim valere te jubeo, atque impensius exemplo meo sapere.



AMI-

AMICO ADOLESCENTI

Ad primam Expeditionem bellicam magnâ animi alacritate festinanti.

Ad Monendum.

AN erit tibi aded festinanti spatium, nostram ut Epistolam perlegas, Amice? Audio enim, quanto studio properes degustare inexperiti Martis primitias. Non es apud te præ gaudio, si quid communibus amicis creditur; ex quo præter ætatis tam teneræ conditionem tibi visendi hostis facta copia est. E quidem Amico gratulor alacritatem illam, quam præ te fers; illam comparandæ gloriæ & illustrandi nominis, dignam inclytis Majoribus, quibus ortum debes, cupiditatem. Neque verò in tanto armorum apparatu, populorumque concurrentium æstibus deerit ingens rei bene gerendæ locus; quo, nihil ego vereor, ut viriliter utaris, si modò felicem ex omni parte exitum mihi spondere liceat. At nôsti armorum ancipites casus; scis rem tibi fore semper cum cæcâ, temerariâ & insolenti sorte, quæ superbos etiam triumphos vertere funeribus amat; quam nobilitas, animus, virtus ipsa non movet; cuius austeritatem nulla amicorum vota, nullæ preces inflectant. Proin noli tuæ te virtuti sic permittere, ut cavendum tibi non putes, & ardorem animi, quo flagras, sagacitate atque prudentiâ non temperandum. Memineris nondum esse te juris tui penitus; sed præstandum esse te

sal.

salvum & incolumem nobilissimæ familiæ, quæ suas in te spes habet, quæ peritura tecum sit, nisi illam suscites ac fulcias. Vitabis igitur istud discriminum genus, quod inconsulti Juvenes lacerant plerumque sine imperio, sine fructu, sine gloriâ: in quibus, vel dum pereunt fortiter, nemo est, qui imprudentiam non arguat, stultitiam non accuset, ne dum extollendam fortitudinem, & invictum animi robur collaudandum arbitretur. Hæc te retrahere tecum velim, dum erit opus, unde documentum capias, quod ex usu tibi sit. Interim ego non cessabo pro te vota facere; ac si quid nostræ valebunt apud Superos preces, redibis ad nos salvus ac sospes, & singulari gaudio amicum inter paucos tui studiosissimum cumulabis. Vale & vive.

AMICO LAUREATO.

Gratulabunda.

Felicem ô, nec tibi magis quam mihi fortunatum diem, Charissime, quo latissimo totius urbis in confessu, tubisque accinentibus ac resonantibus tympanis datus in Theatro tibi plausus est! Quis tunc fuit, amabo, animi tui sensus, cum amplissimi Theatri scanderes ardua, & multiplici revinctum laureâ caput universæ multitudini ostentares? Dic, inquam, per Superos precor, ne pigeat istud enarrare nobis. Quanquam quid ego modestiam tuam frustra sollicito, cum animum tuum ex meo spectare liceat? Possum enim verò ex me ipso, Amice,
face-

facere conjecturam, quàm singularis fuerit lætitia tua, cum votorum tuorum metam ultimam attingeres. Quàm in re nec ipsi fortunæ parcam gratulari, quæ concordibus animis visa est cum æquitate concurrere, ut amplam laboribus tuis mercedem pararet. Pudit illam, credo, cæcam & inconstantem appellari; tibi que dum favebat impensius, voluit eorum hominum emendare cavillationem, qui privatam illam oculis aut volubilem nimis mentiuntur, quàm ut fingere dignoscere virtutem, ipsique adeo possit adhærescere. Quid jam reliquum est, nisi ut fruaris cum otio lætissimo laborum tuorum fructu, & in umbrâ palmarum tuarum gloriôsè conquiescas. Vale.

Atteximus Epistolarum omnis generis Indicem, quæ apud Ciceronem variis Epistolarum in Libris reperiuntur.





INDEX

*Qui multiplex Litterarum Cicero-
niarum genus indicat.*

A

AD Accusandum. Lib. 2. Ep. 10.
Ad Admonendum. Lib. 4. Ep.
15. lib. 7. ep. 7. lib. 11. ep. 20. 26. lib.
12. ep. 19. lib. 14. ep. 10. 12. 14. 18.
20. 21.

C

Ad Commendandum. Lib. 1. Ep. 3.
lib. 2. ep. 6. 8. 14. lib. 3. ep. 1. lib. 5.
ep. 6. 9. lib. 7. ep. 5. 21. lib. 8. ep. 6.
lib. 9. ep. 13. 25. lib. 10. ep. 17. lib. 11.
ep. 29. lib. 12. ep. 6. 12. 21. 24. 26.
27. 29. lib. 13. ep. à n. 3. ad n. 75. 77.
78. 89.

Ad Consolandum. Lib. 1. Ep. 6. lib.
2. ep. 2. lib. 3. ep. 3. 5. 13. lib. 5. ep.
16. 17. 18. lib. 6. ep. 1. 2. 3. 4. 5. 11.
13. 21. 22.

D

Ad Deliberandum. Lib. 2. ep. 16.
lib. 4.

lib. 4. ep. 1. 2. lib. 5. ep. 19. lib. 9. ep.
3. 7. lib. 11. ep. 1. 9. lib. 14. ep. 24.

E

Ad Excusandum. Lib. 1. Ep. 1. lib.
2. ep. 1. 7. 16. lib. 3. ep. 8. lib. 5. ep. 2.
17. lib. 6. ep. 2. 7. 11. lib. 8. ep. 1. 5.
lib. 9. ep. 26. lib. 10. ep. 2. 8. 23. 31. 35.
lib. 15. ep. 3. 5. 13. 15.

G

Ad Gratulandum. Lib. 2. Ep. 5. 7.
9. 10. lib. 3. ep. 9. 12. lib. 6. ep. 12.
13. 16. lib. 7. ep. 15. 17. lib. 8. ep. 12.
lib. 9. ep. 12. lib. 12. ep. 13. 16. lib. 13.
ep. 73. lib. 15. ep. 5. 7. 8. 9. 10. lib. 16.
ep. 16. 21.

H

Ad Hortandum. Lib. 2. Ep. 1. 4. 8.
12. lib. 4. ep. 8. 9. 10. lib. 5. ep. 21.
lib. 6. ep. 12. 14. lib. 7. ep. 6. 17. lib.
9. ep. 14. lib. 10. ep. 1. 3. 5. 10. 12.
13. 14. 16. 19. 20. lib. 11. ep. 5. 7. 15.
23. 25. lib. 12. ep. 1. 6. 7. 8. 9. 10. 11.
22. 23. 24. 25. lib. 13. ep. 68. lib. 14.
ep. 8. lib. 15. ep. 1. lib. 16. ep. 1. 2. 3.
4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 14. 15. 17. 23. 25.
26.

J

Ad Jocandum. Lib. 1. Ep. 10. lib. 7. ep. 10. 12. 13. 14. 16. 18. 30. 32. lib. 9. ep. 4. 15. 16. 18. 19. 20. 22. 25. lib. 12. ep. 20. lib. 15. ep. 16. 18.

L

Ad Laudandum. Lib. 7. Ep. 18. lib. 9. ep. 14. lib. 12. ep. 5.

M

Ad Monendum. Lib. 6. Ep. 21. lib. 7. ep. 6. 9. 10. lib. 8. ep. 5. 9. lib. 9. ep. 12. 17. 24. lib. 12. ep. 28. lib. 14. ep. 23. lib. 16. ep. 11. 12. 13.

N

Ad Nuntiandum. Lib. 1. ep. 2. 5. 7. lib. 4. ep. 12. lib. 5. ep. 6. lib. 6. ep. 19. lib. 7. ep. 1. 26. lib. 8. ep. à n. 1. ad n. 12. 14. 15. lib. 9. ep. 6. 16. lib. 10. ep. 15. 16. 17. 18. 21. 23. 24. 28. lib. 11. ep. 11.

O

Ad Objurgandum. Lib. 2. ep. 7. 8. lib. 5. ep. 5. lib. 7. ep. 8. lib. 10. ep. 27. lib. 11. ep. 18.

Ad Officium. Lib. 2. Ep. 11. lib. 3. ep. 10. lib. 10. ep. 29.

P

P.Ad

P

Ad petendum. Lib. 2. Ep. 11. lib. 3. ep. 2. 3. 9. lib. 5. ep. 4. 9. 12. lib. 6. ep. 7. 17. lib. 7. ep. 29. lib. 8. ep. 3. lib. 9. ep. 8. lib. 10. ep. 21. 24. lib. 11. ep. 2. 4. lib. 13. ep. 12. 57. 73. 76. 77. lib. 15. ep. 4. 7. 8. 10. 11. 13. 20.

Ad Præcipiendum. Lib. 7. Ep. 19.

Ad purgandum. Lib. 3. Ep. 10. 12. lib. 5. ep. 20. lib. 7. ep. 3. lib. 11. ep. 27. 28. lib. 12. ep. 18. 19. 30. lib. 15. ep. 17.

Q

Ad Quærendum. Lib. 8. Ep. 13. lib. 11. ep. 10. 12. lib. 12. ep. 2. 3. 4. 8. lib. 14. ep. 16.

S

Ad Suadendum. Lib. 2. Ep. 18. lib. 4. ep. 7. 8. 9. lib. 5. ep. 19. lib. 6. ep. 8. 23. lib. 7. ep. 11. lib. 8. ep. 16. lib. 9. ep. 2. 9.

V

Varia Lib. 12. Ep. 17. lib. 14. ep. 2. 3. 4. 5. 6. lib. 15. ep. 14. lib. 16. ep. 18. 22. 24.

Ad benevolentiam significandam. Lib. 3. Ep. 1. 4. lib. 6. ep. 18.

Ad beneficium commemorandum. Lib. 3. ep. 5.

Ad

Ad confirmandum. Lib. 6. Ep. 6. 10.
14. 17.

Ad confutandum. Lib. 3. ep. 7. lib. 9.
ep. 21.

Ad defendendum. Lib. 1. ep. 9. lib. 5.
ep. 2. lib. 7. ep. 3. lib. 9. ep. 5.

Ad deplorandam calamitatem. Lib. 4.
Ep. 1. 13. lib. 7. ep. 28. 30. lib. 9. ep. 11.
lib. 10. ep. 1. 33.

Ad dissuadendum. Lib. 2. ep. 3. lib. 5.
ep. 14. lib. 6. ep. 20. lib. 7. ep. 20. lib. 10.
ep. 6. 25.

Ad exoptulandum. Lib. 2. ep. 17. lib.
3. ep. 6. lib. 5. ep. 1. 7. lib. 7. ep. 24. lib. 8.
ep. 17. lib. 10. ep. 28. lib. 11. ep. 3.

Ad gratias agendas. Lib. 13. Ep. 28.
41. 54. 62. 64. lib. 15. ep. 11. lib. 16.
ep. 16.

Ad gratum animum significandum. Lib.
3. ep. 13. lib. 7. ep. 29. lib. 10. ep. 11.

Ad invitandum. Lib. 7. Ep. 31. lib. 9.
ep. 1.

Ad narrandum. Lib. 1. Ep. 1. 4. 8. 9.
lib. 2. ep. 1. 10. lib. 4. ep. 4. lib. 10. ep. 8.
30. 32. lib. 12. ep. 13. 15. 22. 23. 24. 25. 30.
lib. 14. ep. 7. 11. 15. lib. 15. ep. 1. 2. 3. 4.
17. lib. 16. ep. 9. 10. 11.

Ad reprehendendum. Lib. 12. ep. 28.
lib. 16. ep. 17. 28.

P a

Ad

Ad respondendum. Lib. 2. ep. 17. lib.
15. ep. 19. lib. 16. ep. 21. 27.

Ad respondendum. accusanti. Lib. 7.
ep. 27.

Ad respondendum commendanti. Lib.
5. ep. 11. lib. 9. ep. 24. lib. 11. ep. 6.

Ad respondendum consolanti. Lib. 4.
ep. 6. lib. 5. ep. 13. 15.

Ad respondendum excusanti. Lib. 15.
ep. 6.

Ad respondendum gratulanti. Lib. 4.
ep. 14. lib. 7. ep. 2. lib. 15. ep. 6.

Ad respondendum hortanti. Lib. 4. ep.
11. lib. 10. ep. 4. 7. lib. 11. ep. 24.

Ad respondendum monenti. Lib. 2. ep.
23. lib. 7. ep. 25. lib. 11. ep. 21.

Ad respondendum nuntianti. Lib. 1.
ep. 15. lib. 11. ep. 24.

Ad respondendum petenti. Lib. 5. ep.
10. lib. 10. ep. 22.





LIBER
FABULARUM.
AD MONITIO.

Quas hîc ego propono Fabulas, non habent quidem novitatis gratiam, cùm decantatæ jam à multis cùm soluta, tum strictâ oratione inveniantur. Quia tamen pertinet ad Rhetorem in omni scribendi genere diligenter esse versatum, supervacaneum esse non putavi in istis narratiunculis dare specimen aliquod illius styli, quem sibi Fabulæ vindicant. Mirum est enim, quàm dissimilis esse debeat ab eo, qui vel in Orationibus, vel in Epistolis ipsis conscribendis adhibetur. Nam concisa in primis Oratio sit oportet, non implexa longo verbo-

P 3 rum

rum aut sententiarum circuitu, simplex ac penè pedestris, non elata, aut Figuris ornata, numerosa quidem, non complexione membrorum à se invicem pendentium, sed solo delectu & concinnâ verborum dispositione, Adde frequentem Jambum in clausulis commatum, quæ nec magnitudinem senarii versus excedant, nec ab ejusdem similitudine multùm discrepent.

Nam cùm plena est Fabellarum distinctio interlocutionibus, propter varietatem personarum, quæ loquentes inducuntur, tum certè nullus per aptior alternis sermonibus, Horatio teste, quàm Jambus; qui dum sententiam claudit, naturam senarii versus ac formam imitatur. Uno verbo, qui scitus ac concinnus in scribendis Fabulis esse voluerit, is vel in solutâ Oratione Phœdri Fabulas sibi ad exemplum proponat. His autem præceptionibus, quàm fideliter imiterimus, qui legent nostras Fabulas, conjectabunt.

LIBER

sunt, quoquot oculos in caudâ gerit. Assensit
cœtus omnis, & plausu dato Picæ sagaci, damnat
errorem suum.

EPIMYTHION.

*Tanti est, unum aliquem esse, qui sapere
nôrit, & loqui.*

PERDIX & AUCEPS.

DUm tendit avibus laqueos Auceps callidus,
Perdix imprudens cecidit inter retia. Quid
egeret? nullus patebat effugio locus, nec
avidus Auceps ullam spem vitæ facit. Sensit pe-
riculum volucris & metuens mori, his Aucupem
rentare cœpit artibus. Tua sum, sed in me quæ-
lem prædam nactus es! nî pares aliud, mentas
unde oneres tuas, hodie cœnabis ædepol fruga-
liter. At si momenti credis, perbreve moram
concede, pingue spondeo convivium tibi. Agro
in propinquo sociæ pascunt plurimæ. Hunc sine
adducam illas in locum. Mox, cùm rediero, si
officium placet, vitam dabis, aut me perimes pro
arbitrio. Astutus Auceps sensit fallaces dolos;
prensansque volucrem garrulam, ut credam tibi,
subjecit? Tu mihi ut serves fidem, dum prodis
amicas, perfida? hæc alijs cane, quos inescare
possis felicius. Capsam interim ingrediere; sin
amplum minùs, at delicatum dabis hodie
ferculum. Dixit; & oppressit avi-
culam.

EPIMY.

EPIMYTHION.

Qui potest amicos prodere, ab eo ne expectes fidem.

ASINUS & APER.

PROMYTHION.

Facile est prosperis rebus insolescere.

Olim Asellus præter morem lætior; seu levio-
riorem tulerat dorso sarcinam; seu nactus
carduos affatim pranderat opiparè, huc,
illuc cursitabat, inconditis sylvas & agros perfo-
rans clamoribus. Strepitu excitatus nemorum
è latebris Aper accurrit: ille rudere denuò, &
gaudii impotens, Apro salutem ferre familiariter.
Qui dum insolentem pecudis ad fastum stupet,
garrire pergit Asinus, & palpans Aprum, quid
agitas rerum, inquit, an bene est tibi, frater, tuis-
que; Me fratrem vocas? retulit indignans Aper;
at ex quo, precor, vel unde tibi tam insolentes
spiritus? Ni tuum nôrim genus; stolidæque pe-
cudis verear tingi sanguine; temeritati debitas
pœnas dares. Faceffe procul hinc, vile & in-
visum caput, & cum Asellis fratribus quære con-
fortium.

EPIMYTHION.

*Pulchrum est parcere, cum adest vindictæ
modus.*

P 5

LUPUS

LUPUS & OVIS.

PROMYTHION.

Non est credendum verbis subdolis.

x **L**ongâ coactus fame avidis prædam faucibus
Lupus quarebat; sed frustra: quippe pasto-
rum custodia diligens, & vigiles excubie
canum secunda præstabant ovilia. Quid faciat
dedit ingenium necessitas; &, quod vi despera-
bat assequi, id pertentavit dolo. Ovinâ pelle
totum corpus induit; vox una ni deesset, dixisset
Ovem. Sic personatus dexter, angustos peti-
quos Ovis habitat, lares. Quam per hiantes
conspicatus rimulas, Tun' sola, dixit? huc ades
mecum, soror, quò purus aër, quò molles Ze-
phyri vocant, & lætiora pascua. Agnovit Lupi
retusas artes, dolùmque retundens dolo; Ne
facerem, dixit illa, si Lupus tu fores, & me
tueri possis; nam timidam Dii fecère; neque
ea sum, arcere quæ possim malum. Nemetue;
talis ego sum, qualem cupis, subjecit alter; se-
mul & larvam rejicit, se se confessus Lupum.
Subrisit illa; nares & obesas, Lupi ludificans, bellè
est, inquit; non potuit mihi custos adesse melior
& fidus magis. Paulùm operire; socios alios ad-
voco, quos esse festæ lucis participes velim. Re-
rum quid esset, sensit tunc demum Lupus: mo-
râmque suspicatus damnosam fore, credere fal-
tem pedibus maluit suis.

EPIMYTHION.

*Nunquam ita se dissimulat improbitas
quin aliquâ parte se prodatur.*

PHOE-

PHOEBUS & BOREAS.

PHœbum inter & Boream gravis orta contentio est, uter plus posset, & alterum vinceret viribus. Nam Deos ipsos urit ambitio mala, nec solos homines gloriæ stimulat sitis. Hic insolescens Boreas, avulsas vident, inquit, radicibus ab imis arbores, æquatas solo domos, irasque turbati maris? satis hæc loquuntur, Phœbe, quid possim, & quàm temerè mihi palmam invidias. Cui Phœbus ad hæc modestior: Equidem furoris, ne quid dissimulem, tui monumenta sunt hæc tristia; quem æmulari si velim, brevi consumptus orbis in cineres ruat. Verùm mereri bene de omnibus & lædere neminem, hoc unum est demum, quod placet, & quo superior Boreâ Phœbus audiat. Oculos in orbem flecte; si pulchrum quid nitet, si quid utile gignitur & amœnum sapit; totum hoc meum est; totum hoc debetur mihi. Hæc inter, neuter alteri cùm cederet, illac viator forè carpebat viam. Tum Phœbus Boream sic ad certamen provocat. Vis, inquit, nostram protinus controversiam mortali in isto dirimi? Qui nostrum prior excutiet homini pallium, is per me victor feratur. Boreas ultrò annuit. Mox buccas inflans, hinc illinc hominem quatit, perficitque totum. Ille contrà obsistere: & venti quantò ingruit vis major, tantò fortius stringere pallium. Tum Phœbus, operam Boreas cùm perderet, radios ab alto vibrat; & amicus calor insinuans cunctis se se miscet artibus. Sensit viator, æstusque impotens gravis, ultrò volensque rejicit ab humeris pallium.

E P I M Y T H I O N.

Magna vis est benevolentiae, imbecillis metas.

S I M I A

SIMIA CUM GEMINA PROLE.
PROMYTHION.

*Stultus hic amor est, qui rationem amandi
non habet.*

Geminam uno partu prolem Simia fuderat.
Par indoles utriusque, similis industria,
æqualis malignitas. Tamen, quis crede-
ret? dispari in utrumque natum affectu parens,
alterum deperibat amando, alterum vix agnosce-
bat suum. Ille parentis usque fusus in gremio, &
blanda libans oscula vitam vivebat dulcissimam.
Hic abstrusus cavo, & matris ab aspectu procul
ducebat ingratos dies. Illi, si quid garrirer forte,
vel nugaretur, plaudebat mater protinus, & blan-
ditijs addens munuscula, defraudabat genium,
unde amores bearet suos. Huic, si vel mussare
matris in præsentia consideret, nihil præter pla-
gas contingebat & probra. Dum cara matri so-
boles ludit aliquando festiviùs, & triumphantis
inter parentis gaudia circumquaque saltat & exi-
lit, ecce luxata Simiolo tibia est. Dij bene, quòd
absuit frater longiùs, neque se afflictæ matri præ-
sens obtulit, non ille facti declinasset invidiam.
Tum dolore amens mater ire in lachrymas, & in-
gemitus: mox ferocem natum complexa, dum
stringit inter ulnas arctiùs, stulta enecat.

EPIMYTHION.

*Quantum Liberis nocent, qui blandiuntur
malè!*

LUPUS

 LUPUS & ECHINUS.
 PROMYTHION.

Malè creditur improbis, vel cùm amicos sapiunt.

Lupus esuriens fortè in Echinum incidit, delicatum ædèpol prædæ genus, & quod palato Lupi mirificè saperet. At belluam aggredi suis circumseptam spiculis, periculosæ plenum opus aleæ. Ergo rem dolo tentandam ratus, sic Echinum compellat prior. Nam quid vereris, ò bone? vel quò arma illa pertinent, quæ geris? An iste cultus inter amicos decet? Hæc pone tela; nemo me amicior tibi, tuisque rebus qui studeat magis. Bene est, reponit alter; hoc gratulor mihi, quòd te amicum sim nactus; atque omnes velim habere amicos pariter, quotquot sunt, Luos. At arma ne te nostra sollicitent; dedit hæc natura, quibus in hostes uterer. Tu, qui amicum te probas, metum abjice. Nunquam hæc arma amicis nocent.

EPIMYTHION.

Dulce est dolosum ludere meliori dolo.

 VULTURES & COLUMBI.
 PROMYTHION.

Non est tenuiorum hominum, majorum rixas componere.

Civilis arsit inter Vultures discordia. Quæ causa belli fuerit, incertum quidem: at tantis hinc & inde certatum æstibus, ut Vulturum

rum

rum gens tota rueret certam in necem. Nam per
sonare miseris aër planctibus, volitare plumæ ven-
torum ludibrium, perpluere latè sanguis, & pe-
reuntium corporibus madidum cæde consterni so-
lum. Movit Columbos pacis amicum genus, fe-
rale bellum; mittere legatos placet, qui diffiden-
tes revocent ad concordiam. Illi imperata per-
fecere non segniter. Nam dum cruenti Martis
vis major furit, & magnam utrinque Vultures strage-
m cient. Quò vos libido cædis in præcep-
sit, Amici? vel quos inter geritur bellum, inquitunt.
Quocumque res cadat, & inclinetur victoria, mi-
serum vestra gens exitium feret. Protinus ergo
ponite civiles discordias, & donate ferales iras
invicem. Placet morata Columborum oratio, &
asperatos Vulturum animos mitigat. Cessant
ab armis denique, & pax inita. Verùm Colum-
bis illa pax cladi fuit. Nam rebus inter Vultures
compositis, illi in Columbos ruere, nec mitissi-
mam gentem insequendi facere finem vel mo-
dum.

EPIMYTHION.

*Malorum discordia atque perturbatio bo-
norum pacem atque tranquillitatem
parit.*

PASTOR & MOLOSSUS.

Molossus ingentem Pastor alebat domi, fide-
lem, si quis alius, custodem gregis, ho-
stem Luporum furiamque implacabilem.
Quos allatraret, illi fugere longius, & tanquam
sacris,

facris, parcere intacto gregi. Unum hospiti illi vitium hoc quidem fuit, quòd erat Molossus ille famelicus nimis, nec adedò modicis alebatur sumptibus. Dum rem molestam queritur atque incommodam apud amicos Pastor; quid tu, inquit, avidum helluonem detines frustra domi? Hunc trade pagi domino; iste commodius, quod facere nequeas, sumptus graviores feret. Tibi interim unus poterit atque alter canis, præstare eadem levibus impensis vices. Probatur homini parco consilium futile. Vetus fugatur hospes; nec Lupis diù res latuit: longo qui satellitis impigri metu soluti, subeunt desertam domum, & facili potiuntur dape.

EPIMYTHION.

*Servum nactus probum ac fidelem, levibus
ne offendâre maculis.*

LEO & MUS.

PROMYTHION.

*Æquum sapit ille, qui despicit neminem;
sæpè majores indigent tenuioribus.*

MUs in Leonem cùm incidisset temerè, periculum sensit quod adierat. Ergo vitæ metuens, quando, nullus est fugæ locus, cœpit instare precibus, si fors Leonem vinceret. Nam quid egi infelix, inquit? Parce, Regnantum optime,

optime, & errorem excusa meum. Non fuit hæc
 tanta misero fiducia, tuum ut interturbarem
 otium. Tamen si peccâsse videor imprudentiâ,
 ultio de me quid habet, tanto regi quod placeat
 Audiit patiens Leo Muris querelas, & misertus
 ultrò vitam annuit. Paucis pòst diebus Venato-
 rum in retia Leo dilabatur, nec, quo se pacto la-
 queis expediat, invenit. Frustra se partes in
 omnes versat, & incondito gemitu cuncta læte
 personat loca. Nemo est, qui laboranti ferat
 opem, aut pereuntis moveatur malo. Mus
 propinquo t̄reptum hausit cavo, & quò Leonis
 res vocant, accelerat gradum muneris impensè
 memor. At quid tantulus juvet, ubi valentior
 robur cessit irritum. Tamen instat operi Mus
 acriter, nec inanis cecidit labor. Maculas scilicet
 alias post alias dum rodit, sic infregit reticulum
 vinctum Leonem ut solveret.

EPIMYTHION.

*Qui beneficium collocat, operam non per-
 dit suam.*

LEO AD EXPEDITIONEM Bellicam se comparans.

Inusitatum quiddam meditatus Leo, bellum
 movebat gentes in exteras. Jamque per præ-
 cones vocatæ toto ex imperio belluæ Leonis
 in aulam venerant, rem consilio & manu ut pro-
 moverent viriliter. Nam quis improbet, quod
 placuit regibus, aut suam ultrò non polliceatur
 operam? Hic unus restabat labor, ut, quod con-
 veniret

veniret singulis, hoc sibi quisque præstandum
 fumeret; & varia belli munia partirentur invi-
 cem. Hic Elephas latos humeros & immane dor-
 sum ostentans, ego, inquit, belli farcinam, ma-
 chinas, impedimenta, & aliud, si quid est oneris,
 bellè feram; neque me gravabunt, federe qui
 tergo volent, hostem ut impetant commodius.
 Excepta læto fremitu vox Elephantis, & ipse mol-
 liter inflectens caput, arrisit Leo. Ego mole
 corporis adjecit Ursus, sustinebo impetum, neque
 me vivo, aties rumpetur, vel turbabuntur ordi-
 nes. Hostem cominus laceffere meum est, Lu-
 pus exclamat? vah! si dentibus parcam aut un-
 guibus. Ego Legati vice defungar, Vulpes ait:
 mille versabo fraudes & dolos, quibus illusus ho-
 stis in laqueos cadat. Mihi peritare in castris cer-
 tum est, dixit Simius. Regem oblectabo præsti-
 giis, & fatigatum curis gravibus reficiam caput.
 Dum sibi quisque partem opere in tanto vindi-
 cat, silebat interim Asinus reducto in angulo, nec
 mussitare pariter audebat Lepus, stuporis ille
 scilicet, hic timoris conscius. Nec utrique par-
 cit gens Aulicorum mala, ambósque procul ab-
 legandos discit, tanquam numerum inutilem,
 natósque fruges consumere. Absit hoc à me,
 reposuit Leo: operam & illi navabunt non incom-
 modam. Rudet Asinus, tubæque præstabit vices:
 Lepus cursoris defungetur munere.

EPI MYTHION.

*Nemo tam ineptus est, qui consultus Prin-
 cipi utilem operam non commodet.*

Q

LEPUS

LEPUS ET TESTUDO.

X **V**idit Lepus lentis incedentem passibus Testudinem, & insultans tardipedi: quò pergis, inquit, ò bona, quò tuam portas domum? Næ tui me miseret plurimùm, si longam habes hodie, quam peragas viam. Hem, si quò properas, hanc mihi cedo provinciam; non ego durus exactor, quod erogabis cumque, contentus feram. Subrisit Testudo, & jocum subodorata, ædepol me ignoras, inquit, neque tu sensitatis, quantum pedibus præstem tibi. Hic exiliens Lepus, & subsultans huc illuc leviter, ergo celeritatem exere, subjecit; & me, si potes, currentem assequere. Ego verò ac lubens, subjecit Testudo: at ponamus metas, & quo certemus pignore, statuamus priùs. Pacto inter utrumque pretio: i, perge faustis avibus, Lepus adiecit & viam ingredi fortiter, ego dum quietus obdormio: brevem hanc redimam, cum placebit moram. Illa pergit impigrè, & lento festinam gradu metam occupat. Evigilat Lepus interim & propero cursu nequicquam evolans, dolet priorem accessisse Testudinem.

EPIMYTHION.

Malim exiguas vires, quas regat prudentia, quàm robur immensum, quod stultitia moderetur.

EQUUS

EQUUS ET ASINUS,
PROMYTHION.

Qui miseris insultant, digni sunt vicissim, eadem qui ferant mala.

Viam carpebant Equus pariter & Asinus. Hic graviore præter morem onustus sarcinâ demittebat auriculas, & sortem incusans suam vix lentos trahebat gradus. Ille expeditus & alacer altius ferebat caput, etiam socio insultans suo. Tandem fatiscens Asinus sub pondere, & blandè compellans Equum, en ego morior, inquit, nã feras opem. Partem iniquæ molis, quam porto, precor, lubens accipe; non te iste gravabit labor: & amicum interim subduces neci. Mene, an te ignoras, infelix bellua, istud quæ roges, subjecit Equus? scilicet clitellis ferendis nati nos sumus, aut cum nostro dedecore vitam ignavæ pecudis servari decet? Apage hinc, & Atellis fratribus defer indignas preces. Hæc dum malignè garrit superbus Sonipes, ecce per clivum Asinus ægrenitens, pronus in terram atque semianimis cadit. Accurrit dominus utriusque Rusticus, & vitæ pecudis metuens detractam ex Asini tergore sarcinam imponit Equo. Agnovit Equus vel serò suam inclementiam, neque se plesti duriùs questus est, qui laboranti socio operam negâisset levem.

EPIMYTHION.

Qui molliore languens in otio laborem alienum ridet, hanc sibi putet narrari fabulam.

Q 2

AGNUS,

AGNUS, CANIS, ET LUPUS
PROMYTHION.

*Ille Juventutis custos optimus, arcere
ab Alumnis qui potest malum.*

x **D**Ederat Ovis provida & studiosa mater Agnulo suo fidum viæ comitem & custodem Juventutis amicum Canem. Non erat illi quidem bellulus, neque unus eorum aliquis, qui blandiuntur comiter; ast acer inter paucos, & forti Molossorum de gente, qui viriliter allatrat & arcere Lupos longius. Cùm ecce Lupus Agnum incidit. Hic pingui inhians prædæ, avidè illam jam devorabat oculis. Sed periculosè ratus laceßere Agnum aperto Marte, ni submississet Canem, sic est aggressus dolo. Dixerunt fortunant, Amicule, tibi qui occurrerim. Quid tibi, obsecro, cum importunâ & obsoleâ illâ belluâ? Moderatorem vides, subjecit Agnus cui me amica parens tradidit. Nempe eruditè ille te feliciter, reposuit Lupus, aut sapere quid quam doceat, qui nihil aliud, quàm latrare didicit. Dimitte, si me audis, doctorem importunum; novi ego, quid è re tuâ sit, & tibi conveniat magis. Adeamus matrem ambo: interrim ne time; si quid occurrat periculi, salvum te & incolumem dabo. Ut me ignoras, Lape, retulit Agnus! hic mihi custos placet, quem tu improbas; hoc ego contentus satis, arcere malum si possit, cæteris haud agrè caream. Tu malum

sum inferre solitus, mihi nec parceres. Vale
 sis: alios quære, quos tuis felicibus inescas
 dolis.

EPIMYTHION.

*Quàm multi, putas, cum agricola sape-
 rent Adolescentuli, si par incidisset
 occasio?*

LEPUS ET PERDIX.

Lepus & Perdix ruris ejusdem incolæ vitam vi-
 vebant suavissimam. At quis rebus in bonis
 expertus unquam est perennitatem? Ecce ex
 improvise malevola canum turba advolat. Sen-
 sit periculum, quod imminabat, Lepus, & fugam
 extemplo capit. It, redit, huc & illuc curfitat, &
 mille per ambages viarum primos canum frustra-
 tur impetus. At odora canum vis Leporem sequi-
 tur nihilominus, & cursu fatigat immaniter.
 Quin assecuti miserum latratibus auras personant,
 & avidos dentes in prædam acuunt. Qui dum
 periret miserabiliter, vidit Perdix agentem ani-
 mam, & insultans morienti, ubi inquit, illa, quâ
 tantum vales, pedum velocitas? cur salvum non
 te præstitit? Unus hic, retulit Lepus suspirans,
 deerat calamitatis cumulus, nostra ut rideres mala!
 at non ero unus hîc forsitan sine vindice! Hæc dum
 diceret, Vultur in Perdicem irruit, & incusantem
 sese frustra volucrum jejunus alvo condidit.

EPIMYTHION.

*Misero insultes cave, ne par brevè con-
 tingat calamitas.*

Q 3

PAVO.

PAVONIS AD JUNONEM
 QUERELÆ.

CAntantem Philomelam, & nemorum recessus
 dulcibus personantem modis fortè Pavo
 audit. Hinc volucris superbæ crevit livor
 & indignatio. Nulla mora est: tristes iterat ad
 Cælum sonos, & iratâ Junonem fatigat prece.
 Nam quid me juvat, inquit, Regina divûm atque
 hominum, tua quòd avis nuncupor; si me pater
 ris esse ludibrio obnoxiam, & justos dare turbe
 volantûm jocos? Quam mihi dedisti vocem tuâ
 naturæ displicet, aures & ipsas asperat. Interim
 exilis avicula tereti gutture auras implet suaviter,
 & mortalium pariter ac Divûm animos rapit in
 admirationem sui. Risit iniquas volucris querelas
 Jovis conjux & soror, & insolentem sic re-
 tudit superbiam. Non ergo satis est, quòd te
 pennarum nitor supra volantûm omne genus ex-
 tulit? quòd Iris pingitur in collo tuo plurima, &
 dum explicas caudam ac rotas, gemmarum splen-
 dorem vincis ac pretium? Quid restet reliquum
 avibus, unus si collecta teneas, quæ divisa faceret
 beatos valent? Nempe Aquilæ mares animos, le-
 vitatem Vulturis, Corvique mentem præficiam
 mox appetas; si libera detur quidlibet optandæ
 mora. Faceffe; vel si pergis ulterius queri, quæ
 te superbum faciunt, pennas auferam.

EPIMYTHION.

*Quod adest, vulgò nihil admodum afficit;
 quod abest, plerûmque excruciat bonam.*
 JUPL.

JUPITER ET APIS.

Apis obtulisse Jovi favum mellis dicitur. Quis offerentis fuerit animus, non satis liquet. At rarò magnis Regibus munus obtigit expers sperati scœnoris. Admovit orì dulce munus Jupiter; & laudatâ volucris solertiâ; age, inquit, quid vis ut ego rependam tibi? Hic Apis diffimulans, quos tacita meditatur, dolos; non me, inquit, hominum ac Divûm pater, avara sollicitat fames, aut non contenta sorte, quam tu dedisti, majus optârim bonum. Sed gens mortalium avida, per summum nefas, nostras in dapes involat, & quas paramus mensis atque aris Deûm, furatur ac perdit opes. Ergo si labores nostros bonus respicis, si nostra magno munera non sordent Jovi, da vindicare posse prædones malos, & hosti, quisquis ille sit, lethalibus inferre jaculis plagam insanabilem. Votum improbavit Jupiter & injustas preces. Quin & malignum volucris ingenium increpans: Tibi certa mors est, inquit, si quem læseris, & vulnere in ipso protinus pones animam.

EPIMYTHION.

Virus malignum sæpè sub donis latet.

LEÆNÆ EXEQUIÆ.

Concesserat è vivis metuendi totâ in viciniâ Leonis conjux. Protinus planctu lugubri nemus latè consonat, & omnes veniunt

Q 4

luctûs

luctus in partem feræ. Mox & solennis dicitur
 exequiis dies; & missi quocumque Feciales ju-
 bent adesse pompæ funebri sylvarum incolas.
 Nemo non adfuit, aut per Legatos non excusa-
 vit absentiam. Quos ut frequentes vidit ire in
 lachrymas Leo, & longum ejulans testari do-
 lorem suum; ploranti regi adgemere vicissim
 Aulici, & fletu pari prosequi fletum Principis.
 Unus, tot inter lachrymas, abstinuit flere, imò
 & risisse Cervus dicitur. Misero ignoscendum
 id quidem, si scirent Magni ignoscere; qui spon-
 sam suam teneramque sobolem meminerat avi-
 dis Leænæ immolatam dentibus. Hic excande-
 scens Rex ferus & bilem in Cervum evomens;
 sic ergo nostros asperas luctus, ait? & in dolore
 publico ridere sustines? At non Leonis vindic-
 ce occumbes manu. Lupi, involate protinus
 dirum in caput, & piis Reginae Manibus inferias
 date. Nihil moveri visus ad tristes minas, sit
 placidè causam Cervus oravit suam. Rex magnæ
 lachrymis hæcenus satis est datum. Recepta
 cælo flere nos ultrà vetat angusta conjux; dum
 terris ereptam queror sponsam immerentem,
 Divumque inclementiam arguo; vidi superbo
 curru Leenam rapi, interque collocari cælestes
 feras. Placatur Leo credulus, absolvit reum
 nec Cervi pia fraus præmio caruit suo.

EPIMYTHION.

*Magnum est adulari nosse Principibus vi-
 ris.*

CER.

CERVUS AD FONTEM.

AD fontem Cervus sitim cum restingne-
ret, lympharum in speculo vidit effigiem
suam. Miratur ultrò capitis pulchrum
decus, & sua laudat, cornua; sed flexis in pedes
oculis displicuit fero nimia crurum exilitas.
Dum queritur, & ipsos etiam inculcat Deos;
en! è propinquo venatores ingruunt, Canumque
cornuumque auditur sonus. Extemplo dare se
Cervus in pedes, & densum, quà vis adigit,
nemus ingredi. Hic per salebras perque sylva-
rum abdita, dum crura bellè explicat nullo re-
tardatus obice; implexa patulæ cornua hærent
arbore, necluntque frustra luctanti moras. Nam
quantò tendit se expedire fortius, tantò se ma-
gis implicat. Interea quaquaversum erumpunt
Canes, miseramque lacerant belluam. Tum
Cervus moriens, nã mihi meritò obtigit, quam
patior hodie, calamitas! Referre gratias pro
cruribus debueram, & ægrè capitis ornatum
pati.

EPIMYTHION.

*Quod amatur impensius, illud plerum-
que gravius officit.*

CANIS, VULPES ET LEPUS.

Dum cursu Vulpem pertinax urget Canis,
& notas ad artes frustra fugientem occu-
pat; sensit dolosa Vulpes moriendum
sibi,

Q5

sibi,

sibi, n̄ quid novarum fruere fraudum artifex.
 Ergo s̄cundum pectus concutiens, ita blande
 compellat Canem. Vicisti, fateor, quas volēs,
 p̄nas exige; Tua sum, nec, quam merui, mor-
 tem deprecor. At si monenti credis, & sanum
 consilium placet. Attende, qualem surgere in
 pr̄dam pares. Canis palato Vulpes ut sapiat
 hoc tu ferculo exsatis famem? Ah! parce:
 saltem si pinguis ut quondam forem. Sed cru-
 djore si nescis è morbo r̄cens, vix artus traho
 languidos, vix pellis h̄eret ossibus. Te pr̄da
 melior pascet hic Lepus; viden' ut Serpillo fa-
 tus ac Thymo dapes tibi delicatas apparat! di-
 gnus ille, si quis est, Cane generoso cibus.
 Verum moras omnes amputa; dum plaudit sibi
 & huc & illuc ludibundus salit, irrumpe in ho-
 stem citius, & incautum occupa. Bene est, re-
 ponit Canis, consilium sequar. Tu latis fruere
 fatis & meā indulgentiā. Mox citatis fertur in
 Leporem passibus: sed ille cavo conditus eluit
 Canem: Qui sibi utramque surripi pr̄dam de-
 lens, has erupisse fertur in voces; cave, dolosa
 Vulpes, ne mihi rursus incidas: scabiosa vel si
 fueris, non effigies tamen. Prudenter ille sensit,
 sed serò nimis.

AQUILA ET CORNICULA.

Rostro ferebat Aquila surreptum Ostreum.
 Sed squama pr̄dam durior cūm tege-
 ret, avidam explere frustra tentabat fr-
 mem. Volucri inquietæ fortè Cornicula adfuit,
 quæ delicatæ pariter appetens dapis Aquilam sic
 allocuta dicitur. Amica, video, qui te sollicitus
 labor

labor. At ludis operam ædepol, si frangere rostro squameam tentas domum. Sed fursum in auras evola, quantum potes. Dein rupem in istam fortiter mitte Ostreum. Infracta saxo squama inclusam offeret prædam, & te compotem voti dabit. Bene est, subjecit Aquila, monenti obsequor. Mox illa in altum fertur, medióque ex aère incauta laxat, quod tenebat, Ostreum. Affixa terris interim Cornicula, ut vidit liberos carcere effracto cibos, prædâ potitur obviâ, & solas relinquit Aquilæ testæ reliquias.

EPIMYTHION.

Consulere stultum est, quos juvat consilium dare.

TESTUDO ET ANATES.

Incessit olim Testudinem peregrinandi desiderium, & varias mundi plagas perlustrandi curiositas, adeò verum illud est, quod ajunt; hanc esse tardipedum indolem, ut habitare vix possint domi. Illa geminos Anates conspicata, næ felices vos, inquit, ac fortunatos, quibus utramque solis domum licet visere, & diversos terrarum tractus contemplari, cum lubet! O si minùs obesset tarditas, & illa, quam gesto super humeros, domus! Pol cavo non immerer ingloria. Næ te ista sollicitudo maceret, subjiciunt Anates. Possumus ambo, si voles, curiositatem explere tuam, & à Gadibus ad Gangem deferre te cupidam longiùs. Ego verò ac lubens

bens, retulit Testudo: neque ero, confidite, beneficii immemor. Tum illi; non erit mora longa: eni bacillum accipe, & medium stringe dentibus. Simul & bacillum Testudini per os inferunt: at cave, addunt illi, arreptum mordicus dimiseris. Mox acceptâ utrinque virgâ attollunt Anates Testudinem, & liquidas per auras ambo deferunt. Visum illud omnibus prodigium, & concurrentibus undique ad spectandam volentem Testudinem, imò & Regimam Testudinum salutantibus; illa gestiens in sinu, & lætitiæ impatiens, vero verius, inquit, Regimam sum. Næ fecisset illa consilius, si tacuisset: nam aperto imprudenter ore dimisit dentibus, quo sustentabatur, baculum, & in terram allis graviter curiositatis & ineptæ jactantiæ perculit.

EPIMYTHION.

Natura dux est optima; quam ire contra tutò non licet.

MUSTELA, LEPUS ET FELIS.

DUm molli pascitur gramine, & virentes per agros ludibundus errat Lepusculus, absentis in cavum Mustela furtim irrepit, & alieno in hospitio penates locavit suos. Redux serâ sub nocte Lepusculus miratur occupatam domum, & Mustelam increpans, quid agis, inquit, ô mala? Decede laribus non tuis, & vasa, si sapis, quamprimum collige. Ni facias, est in propinquo Murium legio non ignobilis, que

re erudiat, & impudentiam emendet tuam. Ad hæc Mustela subridens, quid ais o bone? aut quo tu jure tuam hanc dicis domum? Orbem, si nescis, Jupiter dum conderet, Terram cunctis animantibus sic habitandam dedit, communis ut esset omnibus; & quam quisque occupasset, dicere hanc posset suam. Hunc mihi cavum jure non alio arrogem. Tu, si quod habes melius vel antiquum magis, id profer, aut esse noli molestus mihi; nã facias, ecce jam jam aderit Canis, qui tuam retundat contumaciam. Hæc dum disputant utrinque acrius; objecit se se de proximo Felis retorrída; quam conspicatus Lepusculus; hem age, dixit, adeamus Felem, & totam controversiam dirimat. Imò, Mustela subjicit, alium judicem non velim. Dictum ac factum, Felis ad tribunal advolant. Qui cum adstitissent ambo, & ad dicendam causam se accingerent; Huc adeste propius, Felis ait; surda sum; hoc mihi ætatis vitium ignoscite. Illis parentibus, falcata hinc & inde Felis injiciens manum utrumque enecat.

EPIMYTHION.

Hoc sibi dictum putent, quicumque apud potentiores litigant.

CERVUS ET VITIS.

Cervus venantes cum fugeret, umbrosam in Vitem incidit. Hoc nactus ex improvise perfugium delituit sedulo, donec conver-
sis

sis aliò, qui sequebantur ferum, cessisset metus. Max oblitus periculi, nec ipsi Viti parcat, cui debebat, quòd viveret. Scilicet teneræ & pululantis adhuc frondis captus dulcedine, Vitem rodere cœpit avidis dentibus, & spes uvarum lætas disperdere. Verùm dum impunè pascitur, ecce ramorum motus Venantes admonet, non procul latere belluam. Accurrunt illi, & adorti Cervum inter salebras configunt spiculis. Qui cùm suo nataret in sanguine, & moriens efflaret animam: Hæc sum meritus, inquit; neque est de fortis acerbitate quòd querar, qui asyli violârim fidem.

EPI MYTHION.

Quibus non dignus pœnis, beneficio qui abutitur?

SIMIUS ET VULPES.

PROMYTHION.

In agendis rebus nudatur stultorum imperitia.

S Altarât bellè Simius, & mille præstigiis sic devinerat animos, ut communi voce Rex salutatus Regis nomen & ferret decus. Invidit una Vulpes, & regnum dolens futilem ob solertiam obtigisse Simio, has Regi comparavit insidias novo. Nemoris recessus cùm distendisset

set laqueis, lætitiã simulans protinus ad Simium advolat. En felix, inquit, ô Rex, augurium ferro recentis Principatûs. Defossas opes inveni; nemorum quidquid uspiam est, tibi debetur uni; quamprimùm huc ades. Antro in propinquo magna vis auri later. Hoc fruerè, tibi fors læta quod sponte obtulit. Dolosæ Vulpi credit ultrò Simius; (furalis auri nam quid non cogat famas) & agili cursu properat monstratum in locum. Sed enim opertis cùm hæssisset cassibus; næ tu maligna es, inquit, Vulpem incusans; quæ mihi sic illuseris. Et Tu, reposuit illa subridens, tibi feras in omnes imperium arroges, tam destitutus mente, ut in laqueos cadas? Depone sceptrum imprudens, & regni habenas perimite peritioribus.

ASINUS DOMINOS MUTANS.

O Litori cuiquam serviebat Asinus servitutum, & illam, ut iniquæ mentis pecudi videbatur, durissimam; nam & minimum pabuli, & laboris ferebat plurimum. Is servitii pariter & longioris pertæsus jejunii, Regem Deorum sic compellasse dicitur. O qui ferarum pariter atque hominum bonos labores ultrò respicis, magne Jupiter, nam te idem in omnes tenere imperium ferunt. Te nostra moveant fata, & alterius Domini liceat famulatum pati. Annuit oranti Jupiter, & Figulum dedit. At meliorem nihilo nacta sortem bellua. Namque ille duris prægravans lateribus, multis insuper pecudem cædebat plagis. Recurrere iterum Asinus infelix ad preces, & novum rogare dominum

num

num. Qui voti compos venditus Coriario est.
Mox durio rem visus vitam vivere, fœdis suo-
rum affiniûmque pellibus dum farcinatus agitur;
ô utinam ait, servire dominis liceat prioribus!
Is me labore postquam longo peremerit, & de-
mortui corium perget exercere duriter.

EPIMYTHION.

*Quicumque servis, domino contentus
vivito, mutare dominos nonnisi in
pejus datur.*

STULTUS ET SAPIENS.

X **S**Tultus quidam ac petulans Sapientem in vi-
rum cùm incidisset, cœpit ipsum persequi
lapidibus. Ad quem conversus alter, &
factum bene, ne vivam, inquit! quin ades, &
hanc laboris mercedem cape; simul & numum
porrigit. Tum sic prosequitur. Si plus haberem
mehercule, amplius & tu ferres præmium. At
faciam tamen meritis par merces ut respondeat
tuis. Hunc tu hominem vides, ad nos qui ad-
properat? Dives est, mihi crede, idem & po-
tens; atque, hoc si negem, intexta vestis auro
fulgênsque purpura, & longa circum turba fa-
mulantium probant. Huic tu lapidem impinge
similiter! nulla mora est, ornabit te pro tuis vir-
tutibus. Persuasus ille, blandis & inescatus do-
lis, continuo lapidem Diviti immitit gravem.
Sed spes fefellit impudentem audaciam; namque

is dolatus lumbos, ut erat meritis, procacitatis
& avaritiæ pœnas dedit.

EPIMYTHION.

*Alit successus improbos, idem & ad
perniciem trahit.*

RANA, MUS ET MILVUS.

DUm Mures inter Ranâsque bellum atro-
fureret, & magna utrinque oriretur stra-
ges, unum è Murinis ducibus bellatrix
Rana captivum fecit. Ille victum se fassus &
victoris ultro veneratus manum: Næ tuus ego
sum; inquit, & jure belli me totum permitto ti-
bi: at nôsti varias esse armorum vices. Victo-
res ipsi cadunt plerumque, & victis in præcordia
virtus redit. Proin utere victoriâ liberaliter,
utriusque fortis memor. Hæc polliceri multa,
horari Murem, bono ut sit animo, & datâ quie-
scat in fide. Verùm in adversa castra dum ho-
stem trahit, ipsūmq; dorso vectat, ut trajicias
lacum; Ecce vectorem Rana succutere fortiter,
aquis ut submergeret. Sensit hostis perfidiam
Mus infelix, & læsam incusans fidem: Ergo sic
me prodis, infida, sic pacta servas, ait, sic vin-
dices metuis juris infracti Deos? Illa nihilominus
cùm pergeret hostem excutere & inimicâ se se
expedire sarcinâ; nihil agis tamen, improba,
Mus exclamat; neque, quanquam nocere per-
fas ac nefas velis, hostem impunè perdes. Tum
sua Ranæ cruribus crura, pedes pedibus sic ira-
pli-

R

pli-

plicat, totóque incumbens corpore tam adhaerens
firmiter, hostis ut eludat dolos & frustretur
perfidiam. Interim ambo dum luctantur acris
& pugnae novum exsurgit genus; vidit ab alio
pugnam ancipitem Milvius, & in utrumque in-
dens, Ranam Murémque pariter alvo condidit.

EPIMYTHION.

*Nefas, vel hosti frangere juratam
dem.*

ACCIPITER ET PHILOMELA.

PROMYTHION.

*Non placatur iratus venter verbis in
anibus.*

CAptam tenebat unguibus Lusciniam Acci-
piter, & destinabat in cœnam sibi. In-
muit illa flebiliter, & mortem deprecans
ah! ne, inquit, Rex avium forissime, peccat
in me durius. Vitam oro: nam quid ego pro
sim tantula? & quas parvum & exangue corpus
tibi epulas paret? Ignosce potiùs, & me de-
tam tibi in omne tempus accipe. Cui fle-
visus Accipiter, agendum, ait; quod mihi
cui genus præstabis, tibi si vitæ munus annuatim
Equidem scio, respondit illa, quam fit, face
quod possum, leve. Tamen non ero beneficus
immemor; ac si iuvabo te minùs in cæteris.

rem cantabo non incommodè, & dulcisonis mille modulis levabo tedium, cum voles, aut etiam solabor ægritudinem. Apage inconsulta, retulis Accipiter, cantus non placet, nisi cum venter est satur. Ergo famem placabis interim, & qualescumque suppeditabis cibos. Tum plura paravim dicere Philomelam devorat.

EPIMYTHION.

Contra potentes manca est tenuiorum eloquentia.

AGRICOLA, & EJUS FILII.

PROMYTHION.

*Posiores nullas esse ipso labore diviti-
sias.*

Erant Agricolaë Liberi non pauci, quos annuis modico ex agello fructibus alebat non incommodè. Is adesse sibi sentiens finem ultimum, cunctos evocat, & paterno singulos complexus sinu sic alloquitur. Quæ summos & imos fato sortitur pari, lex dura mortis, Nati- me vobis jam jam auferet. Agrum hunc parentis opes unicas ac breves accipite. Ne tamen vobis hæc, precor, libido mala veniat agrum vendere. Defossus illic ingens thesaurus latet. Quâ parte demum lateat, ignorat pater. At si monenti creditis, postquam fruges collecta mes-
sis

R 2

fis

sis dederit, terram fodite, & partem in omnem
vertite diligenti manu. Confidite, labor assiduus
thesaurum eruet, & ditabit singulos. Interim
moritur senex. Illi imperata facere, & quos spes
avara lucri stimulat, terram arando fodere, quam
longa est dies. Thesaurus non est usquam in-
ventus quidem. Ast agrum dum sic excolunt,
cultura diligens peperit magnas opes.

CUCURBITA, GLANS
& RUSTICUS.

PROMYTHION.

*Quàm temerè stulta gens mortalium
Providentiam arguat, Fabula sequens
monet.*

Repentem humi gravem Cucurbitam mihi
tus olim Rusticus, ô factum malè! in
vivam, inquit! Quàntò penderet illi
pulchriùs sublimi ab illice. Talem, hercle, talis
arborem fructus decent. Næ dormiebat, quæ
rerum auctorem ferunt, hæc dum ordinare
Nam cur vicissim illa Glans humi non serpit, quæ
Cucurbita crescit loco? Pol si vocatus con-
in partem fuisset, statuisset aliter, nec minus
ut reor, bene. Hæc dum volutat tacitus & pla-
dit sibi; ægrè receptus oculis obrepit sopor.
Cum dormienti summo Quercûs de vertice
Glans incidit, & nasum hominis graviter vul-
erat. Evigilat, & naso admotâ manu, quid hoc

est, exclamat, sanguis è plagâ fluit: Glans minima tam grande infligit malum. Quid si Cucurbita cecidisset? Nihil immutandum sentio. Rerum artifex suis prudenter cuncta disposuit locis.

LEO CUM AULICIS.

Aulæ regales divitias jactandi cupidus Leo superbum ad convivium vocavit è regno toto belluas. Adfunt frequentes; nam quis abnuat oblatum à Rege decus? Aditus in aulam panditur, semesa quam cadavera & recens fusus cruor Mephyti vaporabant gravi. Hausère cuncti tetram odorem; cujus inter reliquos Ursus impatiens, continuò providâ nares occlusit manu. Bilem Leoni movit belluæ fastidium; factoque in Ursum impetu Rex immisericors multavit nece. Iram Leonis Simius contrâ approbans; næ meritas, inquit, ô Rex, tibi pœnas dedit caput inficetum: Balsamum omnia & ambrosiam hîc olent, si quid sagaci nare rimari liceat. Nec Regi placuit putida adulatio, missisque in Simium unguibus assentatorem fato damnavit pari. Stabat Leoni propior Vulpes calida, quam percunctatus ille, quid sentis, ait? quis eruditas nares afflavit odor? Ignosces, retulit illa, Rex magne, obsecro; nam tantus humor de cerebro fluxit nocte proximâ, nasum ut penitus haberârit meum. Sic innocenti mortem vitavit dolo.

EPIMYTHION.

*Ursum multi Principes, Simium pauci
enecant.*

MULI DUO.

Viam carpebant pariter Muli duo. Alter
ferebat regiam pecuniam, alter timentes
saccos hordeo. Ille superbus pretioso
pondere, & celsâ cervice eminentes jactabat
appensum collo tintinnabulum & amaris socium
illudebat jocos. Hic tenuitatis conscius, ut par
erat, suæ, demittebat auriculas, nihil murrere,
nihil ausus contrâ obloqui. Hæc inter nemorum
è latebris Latrones advolant, & facto gloriosum
in Mulum impetu cunctas diripiunt opes, ipsamque
plagis plurimis conficiunt belluam. Prædâ
potiti celerem capiunt fugam vile aspernati hor
deum. Spoliatus ille fortem cum fieret suam
Equidem, inquit, alter, non ego accuso Deos,
nam neque amisi quidquam, nec sum læsus vul
nere.

EPIMYTHION.

*Magna periculis subjacent magnis opes
secura semper inopum tenuitas,*

LUPUS & MACILENTUS
CANIS.

JEIUNUS olim Lupus in Canem incidit; non ille naris emunctæ Lupus, aut tam versutus, quàm rapax. Is in oblatam prædam cùm rueret; ah! ne tibi, Canis ait, isthæc libido veniat, ô Lupe, ut me tuis epulis destines; viden' ut ægra macies & scabies mala me me urget: at si breves inducias dabis, jam jam revertar pinguis totus ac teres. Cerebres parantur scilicet apud Herum nuptiæ, & largæ dantur epulæ per multos dies. Non parcam mihimet, spondeo. Hinc me refectum videbis, dignumque, palato qui sapiam tuo. Reversus illuc postmodum Luptus alacer Canem evocat, & datam repetit fidem. Quem ille post crates respiciens; næ æquum censes; inquit, ô Lupe. Ac ne quis dubitet, quàm fidelis sponsor ego sim, accerso testem hujus custodem domûs. Is erat Molossus ingens non unâ Luporum nece nobilis. Rem suspicatus Lupus, & se delusum sentiens, at mihi non vacat, inquit; & spem salutis unam in fugâ ratus, quamprimùm se in pedes dedit.

EPIMYTHION.

Præsenti utere, futuro temerè creditur.

VULPES & GALLUS.

GAllum insidentem arbori Vulpes viderat,
Gallus delicatus si quis est, & regius Vulpis

R 4

pi

pi cibus. Illa ad blanditias vocem inflectent
molliter, haecenus, inquit, irarum inter nos fa-
tis: nihil jam sibi Galli timeant à Vulpibus, suis
que rebus tutò ac confidenter vacent. Veter-
bus bellis successit tandem æterna pax. Huius
ego, Amice, huc advolavi nuncia; descende
quamprimum & amoris obsides amplexus cape.
Suboluit callidæ volucris maligna fraus, quam
procaci retudit illudens joco. Næ me tam læ-
beas nuncio; tibi que gratias, ut decet, refero
plurimas, per quam venire tanti gaudii in par-
tem licet. At gemini, opinor, accurrunt Cane-
pacis ejusdem nuncii. Mora nulla, festum op-
nes peragemus diem. Ignosce, retulit Vulpes,
non patior moram: peragenda hodie grandis
mihi restat via.

EPIMYTHION.

*Dulce est suis capere Veteratorem in
dolis.*

PISCICULI.

PROMYTHION.

*Non est spernenda urbana dicacitas, sed
cum tempore offertur & loco.*

X **S** Edebat divitis ad mensam quidam eorum
numero, quos Umbras vocant, vir elegantis
ingenii & sale conditus Attico. Is grandis

res pisces oculis devorans, quos ægrè ferret à se
positos longiùs; Pisciculos ori primùm, mox
& auribus alios post alios admovet. Mirari tur-
ba convivantium & facti causam [quæ]rere curio-
siùs. Quibus ille subjecit: Ingens me cura so-
licitum tenet, quæ sint Amici fata jam pridem
mei, qui lata currit maria, Indos visurus ulti-
mos. Quærebam, si fors illi comperissent quid-
piam. At juniores esse se respondent mihi,
monentque, Pisces grandiores ut interrogem.
Applausit omnis turba & laudavit
jocum.



ORA.



ORATIUNCULÆ
QUÆ
PROLUSIONIS
AUT
GRATULATIONIS
locum habent.

PRÆFATIO.

Recurrunt quotannis in Literario ludo Philosophicæ aut Theologicæ Exercitationes, in quibus, Propugnatoris partes qui sustinent, antequam certamen incant cum Adversariis, proludere Oratiunculâ ad pugnam solent. Magnum aperit Orationibus ejusmodi ipsa Philosophia dicendi campum. At, quæ dicuntur in ejus laudem, tam trita sunt vulgò, tam pervulgata, ut audien-

dientibus statim fastidium pariant. Ergo cudant illi non pervulgatam sibi ideam, quæ novitate suâ placeat. Repræsentetur, verbi gratiâ, Philosophiæ studium sub imagine aliquâ institutæ peregrinationis aut navigationis operosæ per varias mundi plagas, quæ Philosophicas Quæstiones, Philosophorum Systemata, controversias eorundem ac discrepantes opiniones designet. Proponatur certamen illud ludicrum, quod oppugnantem inter & propugnantem committendum est, ductâ similitudine ab urbium obsidionibus, & difficultates utrinque ac pericula excutiantur. Hujus rationes ac momenta, cum illius experimentis, hujus defensores ac patroni cum illius sectatoribus & affectis. Fingat junior Philosophus nunc se deprehensum inter Academicorum Sylvas, aut Peripateticorum in Lycæo, modò Cassendi vel Cartesii in Scholas delapsum. Hic atque illic visa, audita narret atque excutiat, aut etiam conditâ fa-

libus

libus Atticis censurâ joculariter perstringat.

Erit etiam aliquando non injucundum in unâ aliquâ Philosophiæ parte vel Quæstione immorari, quæ Prolusioni toti materiam suppeditet; maximè si novum aliquod atque insolens super eâ systema propugnandum habeat, quod irritare curiositatem audientium possit. Sic occurratur delicatiorum hominum fastidiis, & subtilioris ingenii fama comparatur.

Quòd si Primarii cujuscumque Viro sub Auspiciis, quem demereri patronum cogitet, Theses tuebitur, tum Orationem sic instituat, ut ex occasione Philosophiæ descendat ad Mœcœnatis sui laudes. Extollat ipsius sapientiam, ingenium, res ab eodem præclare gestas, non prætermittat grati animi significationem, si fuerit aliquo beneficio devinctus. Istius commemoratio plausum ab Auditoribus, à Patrono gratiam extorquet.

Qui verò sibi sumpsit hanc provinciam, ut cum propugnatore primus omnium congregiatur, & cæteris ad pugnam aperiat aditum; si ratio postulet, ut de Adversario suo præferatur aliquid honoris gratiâ, ex ipsâ quantum poterit Thesi, quam oppugnaturus est, sumat laudandi illius occasionem. Quæ enim ex ipsis rei visceribus eruuntur, hæc, ut recens nata, novitatis gratiam habent, ita attentiores reddunt animos, & placere magis solent. Laudabit autem in eo ingenium, pietatem, morum innocentiam, assiduitatem in studiis, re-latas in humanioribus Litteris laureas. Is, si parentes ac majores habet nobilitate, honorum insignibus, rerum gestarum gloriâ conspicuos, hinc erit gratulandi locus Adolescenti nobili, & præsumendi futurum, ut olim domesticorum exemplorum æmulator existat. Cavendum autem imprimis, ne luxuriet Oratio; & ubi nihil specialim dicendum occurrit, communibus

nibus

nibus in Locis diutiùs immoretur. Si qua, uti sæpè fit, propugnantem inter & oppugnantem ratio necessitudinis intercedat, poterit is non inconcinne ludere in Adversarii personam, quam ipse vel propinquus, vel affinis, vel amicus cogatur induere, imò & videri detrectare velle certamen cum eo, quem tueri omni ope contra ceteros deberet.

Quin & in ipsis Exercitationibus Theologicis locus est ejusmodi Præfationibus. Scitus & elegans puer adhiberi solet, qui concertationis aditum aperiat, & res graves ac serias præter ætatis conditionem pertractandas suscipiat. Hic quàm multa se offerunt, in quibus ludere ingeniosè & joculartiter possis! si nimirum exhibeat Adolescentulus, qui compositus viro non detrectet certamen, vel Davidis exemplo, qui Gigantem aggredi præsumpsit; vel ut alter Daniel, qui in difficili controversiâ se interposuit Judicem. Si præfidat unum se fore corum

rum Infantium aliquem, quorum linguas ita Deus erudit, ut ex ipsorum ore laudem perficiat. Si varias institutæ consuetudinis rationes requirat; puta, ut ex Puerorum moribus discant viri, quantam simplicitatem mentisque docilitatem ad ipsas res Fidei pertractandas afferre debeant: ne tam ingenii viribus, doctrinæve præsiidiis, quàm cœlesti divini Spiritus afflatu pares se fore ad resolvendas difficultates Theologicas confidant: cùm rudes & imperitos Deus plerumque elegerit, ut eorum, qui sibi videbantur sapientes, prudentiam reprimeret ac contunderet, &c.

Jam adepturis Magisterii lauream, sunt qui pro commissâ sibi provinciâ gratulentur, eosque suorum officiorum admoneant. Iis porro videndum imprimis, ut ex variis personarum circumstantiis, natalibus scilicet, indole, animi vel ingenii dotibus, educatione, rebus in studiorum palæstrâ strenuè præclarèque gestis gratulationis

ma-

materiam eruant, ut eorum, qui laudantur, propria, non trita, communis pervulgataque sit. Quædam Gratulationum hujusmodi subjiciemus exempla, in quibus vice cotis fungemur, quæ, exfors ipsa secandi, ferrum reddere acutum valet.

Jam quod attinet ad eos, qui in Magistratum inaugurandi, aut adcepturi Doctoris lauream aliquâ Præfationiunculâ suffragantium benevolentiam demereri solent, hæc capita dicendi argumentum dabunt.

Primò significabit gratum in eos animum, per quos sibi sedere liceat inter graves Magistratus, ingenio, probitate, rerum omnium scientiâ conspicuos. 2°. Modestiam præ se ferat fatendo se imparem tantam dignitatem sustinendo. 3°. Extollet momenta illius muneris, commemoranda virtutes, quæ adesse in Magistrato debent, puta perfectam Juris Legumque cognitionem, ut dirimere populorum controversias, de capite fortunis.

tunisque hominum ferre sententiam possit. Assiduitatem in Foro, ne afflictæ innocentæ ac desertæ solitudini patrocinium desit, Æquitatem ac constantiam, quas nec inflectat gratia, nec infringat metus. 4°. Fiduciam injiciet, fore, ut gravissimorum Magistratum præsentia, consuetudine, exemplis dignus & ipse tanto honoris apice aliquando videatur. 5°. Magistratus qui adsunt, ipsumque adeo totius consensûs Principem perstringet, & brevi Elogio prosequetur.

Denique cum Moderatori Provinciæ, aut viro cuiusdam primariæ dignitatis, qui ad regimen aut Ecclesiæ aut urbis accedet, gratulandum erit; significabit Orator primùm, quantam is fecerit expectationem sui, virtutum suarum famâ, quæ omnium aures implevit. Deinde si quid fuerit in eo singulati laude dignum, si quid gestum præclare, commendabit. Tum felicem Urbem aut Provinciâ, fortunatos Populos appellabit, quibus sub tali Re-

S

ctore,

store, tam dulci sub imperio viven-
dum sit. Erit etiam hîc locus prædi-
candi sapientiam Principis, qui nemi-
nem eligat ad obeunda regni munera,
nisi numeris omnibus absolutos. Po-
stremò propensissimos omnium in
eum animos, devotissimas ad omne ob-
sequii genus voluntates esse pro-
fitebitur.



PRO



PROLUSIONES

AD CONCERTATIONEM PHILOSOPHICAM.

Quod diurnam laboriosamque navigationem expertis contingere solet, ut amicum litus affecuti feliciter, nihil à ventorum furis aut procellosis pelagi fluctibus pertimescendum habeant; id utinam ego longum ac difficilem Philosophici maris cursum emensus, & optatum tandem portum adeptus gratulari mihi possim, Auditores ornatissimi. Nam quos biennio toto non exandavi labores, quibus non defunctus periculis, antequam dulcem votorum meorum metam prospicerem! Vidi desertas & inhospitas sedes, aut solis Chimæris habitas domos. Immorandum fuit ignotis Categoriarum in regionibus; vivendum cum populis barbaris, quorum variæ & insolentes formæ terrorem incutiant, & appellatio sola vel impavidas mentes percellat. Sustinendas habui Syllogismorum acies, perrumpendos viriliter cataphractos Enthymematum globos, insidiosas Sophismatum catervas prudenter declinandas.

Delatus sensim in Academi sylvas, atque altos nemorum recessus, vix cœperam capere partem quietis aliquam, veritatis unius, quam vide-

bantur illi unice consecrari, captus amoribus, cum instituta peregrinationis necessitate quadam avulsus amœnissimis è regionibus Stoïcorum in porticus delatus sum. Perculit oculos plena majestate sedentium gravitas; & austera morum disciplina, quam tradebant, rapuit me in admirationem. Verùm usum comperi non ita multò post docere eosdem graviora, quàm præstare ipsi aut valent, aut possent. Quare aspernatus fastuosæ gentis illius ostentationem incidi Peripateticorum in Lycæum.

Non displicuissent istorum hominum insuetudo, qui non tam improbabiler disputant, nisi actiuosa præter modum ac pertinax eorumdem inambulandi cupiditas fastidium ingenerasset. Verùm declinare Scyllam dum cupio, in Carybida delapsus sum, Pythagoricam Scholam intelligens, jus limen vel ipsum non sustinui salutare, cuius fœni novis hospitibus quinquennale silentium imponi.

Rursum dare vela cogor, Zephyris aspirantibus, nova visurus maria, novas tempestates & procellas experturus. Nam quò fragilem cybaram non rapuere postmodum Carthesii vortices ac turbines? quos tumultus volantes huc & illuc Epicuri Gassendique Atomi suscitârunt! Nunc levem habebam, quâ pascere; modò raptus extra mundi limites, ubi ponere vestigium licentium non inveniebam. Quin & lucentem Lunæ globum ingressus, quàm nova & inusitata hæc rerum portenta miratus sum! Nunc germanæ æstuantis reciproce maris causas, prodigiosas sublunaria corpora impressiones, profluente perenniter ab utroque polo vim magneticam ferentibus & propriis usurpavi oculis, neque expleri tuorum

corda poterant. Sileo quot occurrerint debellandi hostes; quoties certandum fuerit imparibus viribus cum feroci gente hominum, quibus in contentione vita est; qui nec salvi nec incolumes esse possunt, nisi feriantur vicissim & referiant.

Saltem, si quam cæteri navigatione defuncti securitatem sibi gratulantur, eandem penè positus in litore mihi possem polliceri; si periculis tot exhaustis, nihil jam haberem cymbæ fragili metuendum. At quàm dispar ab eorum sorte mea conditio est! Illi redditi patriis finibus extra omnem penitus aleam versantur; ego terræ jam propior, nisi summâ dexteritate navigium regam, tristissimum in ipso portu non declino naufragium. Illi peregrinis onusti mercibus, magnis expectationum sociorum plausibus excipiuntur; ego gloriosissimis tam ex vetere quàm è recenti Philosophiâ onustus spoliis vereor, ut avidam tot ingenioforum spectatorum famem explere possim. Illis occurrit nemo, qui intercludat aditum, aut litus occupare fortiter cupientibus moras opponat. Mihi antequam consistere tandem liceat, & peracti feliciter cursûs palmâ gloriari, quàm se offerunt multi, quos vel ingenij æmulatio, vel opinionum diversitas, vel periclitandæ eruditionis Tyronianæ studium impellunt, ut se adversarios profiteantur, & capiti meo detrahere lauream pertentent.

Tamen non detrectabo certamen, si quod est, & sapientissimi Moderatoris, qui ad clavum sedet, sagacitate atque experienciâ fretus contendam usque viriliter, & adversum impetus qualescumque naviculam tueri pergam, donec placidâ in arenâ conquiescat.

S 3

ALIA

A L I A.

COgitanti mihi nuper, pars utra potior Philosophicis in concertationibus, oppugnatione, an propugnantis censi debeat; visum est operosum esse quid nimis, rem decidere penitus; aded gravia utrinque tam commoda quam incommoda objiciebantur. Tamen utram totus in expendendis variis hinc atque inde momenti, sensi quotidianas Philosophorum pugnas quas illi, sive ad tuendas opiniones suas, sive ad labefactandas alienas adhibent, rudem aliquam atque umbratilem esse certaminum illorum imaginem, quæ in oppugnandis defendendisque urbibus committuntur; sic, ut, quâ ratione vel obsesses, vel obsessi obsesses superarent eadem propè Philosophicis in contentionibus, vel impugnantibus à propugnantibus, vel ab impugnantibus propugnantibus vinci viderentur.

Enimverò par utrinque institui video cum oppugnationis tum defensionis genus; labor occurrit non absimilis; idem penè armorum casus incidit, & certantium conditio germanam penitus sortem ac fortunam experitur.

Urbem oppugnandam qui suscipit, per quos ambages ac cuniculos molitur ac dissimulat viam, donec munimentis fiat propior, & ad eadem evertenda comparatus accedat. Qui Philosophicæ Theses, quas vocant, impugnandas habet, quibus multâ argumentorum circuitione tentat aditum, antequam ipsa contrariæ opinionis fundamenta videatur convellere! Ille quatit hostium propugnacula magnâ vi tormentorum; hic Syllogismorum robore Adversariorum principia labefaciat.

faciat. Alter, occupatâ statione, opus dum promovet, passus ex improvise ab obsessis impressionem, loco cedere cogitur, aut insidiosi pulveris cuniculo exturbatus suis ipse ruinis sepelitur. Alter dum disputantem redactum à se fuisse putat ad incitas, & victoriam sibi gratulatur, retorto quantitur Enthymemate, aut capiosa distinctionis perstrictus acumine sentit ruere oppugnationis fabricam, & irritos fuisse conatus suos dolet.

Quid multa: perstat obsessus hostis contumaciter, & oppugnantem speratâ palmâ sæpè frustratur: peritat in sententiâ suâ Philosophus vel victus; & suâ in distinguendo subtilitate, in negando confidentiâ oppugnantem fatigat & illudit.

At in tuendâ Thesi Philosophicâ, ut in defendendis mœnibus, an difficultas minor occurrit, Auditores? Obsessâ urbe qui clauditur, incertus, quâ sit irrupturus hostis, copias dividit, & dum periculum arcere cunctis è partibus cogitat, singulis tutandis locis imparatior accedit. Idem respondentis è pulpito Philosophico fatum est, qui Quæstiones plurimas, easdémque varias ac dissimiles propugnandas dum recepit, distractum plures in curas animum, eundem minùs ad singulas attentum habet. Expertes somni ac quietis dies pariter ac noctes agit moderator obsessæ urbis, ne fors incautus aut somnolentus occupetur. Quàm experrectum esse oportet Tyronem Philosophum, ne quid perperam neget, aut concedat, unde detrimentum patiat. Desunt plerùmque obsessis cibaria, nec armamentaria machinis atque præsidiiis exhausta longioris defensionis facultatem relinquunt; hinc dedendæ urbis ineluctabilis necessitas. Neque etiam tam inexhaustus est Philosophicæ suppellectilis apparatus, ut sustinendis diu

tot Adversariorum impugnationibus par obsessus inveniatur. Denique non est obsessis fugæ locus, nec spes eludendi vim obsidentium, nisi opportunè auxilium subveniat, quod præstò sit laborantibus, & urbem obsidione liberet. Neque conclusus pariter graves inter argumentorum angustias habet infelix Discipulus, quò se recipiat; nisi prudens Moderator ac Præses instillet in aurem quidpiam, & impeditum feliciter expediat.

At enim, quid promovisti, dicit aliquis, qui lite resolveris? vel quid crudiores militantium pugnae ad innoxias Philosophorum contentiones pertinent? Feci quod erat in me, Auditores, rem illustravi pro virili parte: quid agam deinceps consultius, quàm si controversiam omnem reliquam vobismetipsis, in hoc dimicationum genere contritis jam diu, dirimendam. Utinam nostra respondendo tenuitas vestros non inclinet animos, ut plus in Propugnante difficultatis ac laboris quàm in oppugnante esse judicetis.

A L I A.

Pro eo qui priùs Militiam professus esset.

IToc erat solenne apud eos, qui Gladiatorum in Ludo exercebantur, nemo ut priùs missionem impetraret, aut donaretur rudem quàm palmarum multarum gloriâ nobilis eximium cum virtutis, tum industriæ periculum fecisset. Eandem sententia Palæstræ Philosophicæ esse conditionem, Auditores, & aspiranti mihi ad Philosophi nomen & gloriam, peracto non tam infeliciter opere-

operosioris biennii curriculo, periculosa plenum opus alex tentandum incumbit, & novum ingenii partaque in hoc stadio eruditionis specimen exhibendum.

At nescio quo meo contingat fato, ut crudiores olim pugnæ expertus sine pallore, hic, ubi ad ludicrum certamen descenditur, timidus inveniar præter modum, neque tam ambire videar propositæ mercedis decus, quàm dubii discriminis fortunam formidare. An ergo verendi magis videri debeant Adversarii illi, quibuscum in hac arenâ gerenda res est viriliter, quàm hostes patriæ, & in perniciem nostram tam pertinaciter conjurati? an esset minùs innoxia argumentorum seges, quibus jam impetendus sum; quàm horrentia pilis agmina & mucronum acies in jugulum parata? an demum facilior vitæ ipsius jactura, quàm Philosophici nominis detrimentum se objiceret?

Ut ut est; nihil me fateri pigeat, Auditores; nunquam tam terribilem incidisse mihi tubarum clangorem ac buccinarum strepitum, quoties cruentæ pugnæ signum ederent, quàm æris acuti sonus, qui me ad hodiernam Concertationem vocabat modò, pertimescendus visus est.

Quanquam næ incusandus ego, qui timeam, ubi nullus est timendi locus! Non hostes inter, sed inter amicos geritur bellum illud, cujus hodie præfectura nobis committitur; nec infelix potest esse hujus certaminis exitus, in quo, qui aggreditur, minùs vincere ambiat, quàm vinci. Accedit bene affecta spectantium voluntas, quorum præsentia dabit bellatori vires atque animos, & præsens ad plenam cumulatamque victoriam momentum sufficiet. Exulet ergo metus omnis; ac licet in hac arce Philosophicâ, quam tuemur,

S S

varia

varia occurrant loca, quæ fortitudinem pariter ac vigilantiam propugnatoris requirant, multiplices aditus pervii & ad idoneam defensionem minus bene comparati, fallaces hostium doli fraudesque prudenter declinandæ; ratum est præstare me dignum expectatione vestrà pugilem, & quam olim in defendendâ patriâ non ignavi bellatoris laudem consecutus sum, eandem in tuendis rebus Philosophicis famam vestro iudicio promereri.

A L I A.

*Cum Propugnator Theses suas dedicasset
Illustrissimo Ecclesiæ Principi Francisco
De Clermont de Tonnerre, Episcopo Lingonensi ac Pari Francia.*

A Spiranti mihi ad Philosophiæ Lauream, Illustrissime Ecclesiæ Princeps, quod mihi felicius augurium contingat, quàm tuis sub auspiciis descendere contentionis in arenam, & tam potentis Patroni clientelâ posse gloriari? Eset mihi quidem in hac ingenii eruditionisque palastrâ, quod vererer plurimum tennitatis meæ conficius, nisi vim ac fiduciam sufficeret tui Nominis auctoritas, & singularis ille, quo me resque meæ tutaris, affectus æquos ac benevolos omnium animos polliceretur.

At quas agam tibi pro tuâ humanitate gratias, qui tantus tantillum respexeris; & nihil ejusmodi promeritum hominem tam singulari beneficio prævenire non dubites? Quanquam vel in
hoc

hoc facinore tuo habes, Illustrissime Ecclesiæ Princeps, dignam beneficio, dignam te ipso mercedem ac gloriam; & quod videri fortasse possim meruisse minùs tam dulce præsidium, eò & tibi gloriosum est magis idipsum liberaliter impertiri. Ecquid enim est, quo magni viri se commendent illustriùs, quàm dum amant identidem oblivisci dignitatis suæ, ut se minimis impendant affatim, & in benemerendo voluptatem ac gratiam aucupentur? Hæc tua laus tibi singularis ac propria, cujus in partem venire nemo confidat; quam nec Majoribus debeas acceptam; quam & illi, quibuscumque nobilitatis & rerum præclarè gestarum ornamentis potiorem arbitrentur, & tibi, si viverent, fortè invident.

Nórunt quidem omnes, Ecclesiæ Princeps Illustrissime, quot abhinc sæculis deducas generis amplitudinem, quàm insigne titulis & conspicuum honoribus nomen geras, quantam Majorum gloriam tibi gratuleris: rémque actam agere videar, si retexere velim longam illam tot illustrium virorum seriem, qui, quantum ipsi à Gente Claromontanâ decus acceperunt, tantum eidem splendoris ac famæ suo in Religionem studio, fide in Principem, in patriam charitate rependerunt.

Testis famosus ille Aynardus Claromontanus de Cathedrâ Petri tam benemeritus, qui sub initium duodecimi, sæculi Calixtum II. Pontificem Maximum per summum nefas expulsam, comparato propriis sumptibus exercitu Romanam in Sedem restituit. Cujus facti memoriam etiamnum loquuntur & toti deinceps posteritati prædicabunt Claves illæ geminæ, quas Pontificiâ cum Thiarâ Gentilitio in scuto Claromontana Domus circumfert cum hoc Leminate, *si omnes te negaverint.*

usurint, ego nunquam te negabo. Testis Aynardus alter, qui Humberto Viennensi Delphino adhæsit tam constanter, ut nullis Aimonis Sabaudi conditionibus alienas in partes abstrahi sustinuerit. Neque ille tanti officii leve præmium est consecutus, qui sibi Nepotibusque suis longos per annos præmi in eâ provinciâ Imperatoris nomen ac dignitatem promeruit. Testis Philbertus ille Claromontanus, qui Carolum VIII. medios inter hostium globos ad Forum novum in Italiâ delapsus, auditâ compellantis se se Principis voce, viriliter eripuit. Testes multò plures, quos ego eo lubentiùs prætereo, quò minùs obscura sunt & eorum nomina & rectè facta, Viri primariis, cum Ecclesiæ, tum Militiæ honoribus tantâ cum laude defuncti; quibuscum initam nobilissimæ quæque in Galliâ familiæ affinitatem sibi gratulantur.

Nôrunť hæc, inquam, omnes, at minùs illud vulgatum, quod dicam, nisi apud eos, qui peculiari Superùm beneficio Pastorem facti suis id ipsum oculis quotidie usurpant. Ut penè nullo ponas in loco quidquid laudis ac gloriæ tibi à Majoribus accessit: ut decoris illius, quo fulget ipse, Ecclesiæ Princeps ac Par Franciæ, generosus contemptor, tanquam unus è multis videri gestas, ut neglectis Aulæ, cui tam gratus & acceptus fore res, illecebris, commissæ provinciæ ultrò immeris; ut non proprio, sed cum iis communi hospitio gaudeas, quos Pastoralis officii adiutores elegisti; ut iisdem instituendis atque informandis ad bonam rectâque disciplinam totus incumbas, ut eruditionis palmam feras populis mirantibus quoties aut gregem erudis, aut doctarum concertationum arbiter, quod est obscurumcúmque, illustras, quod abitursum, pandis, quod impeditum explicas; ut tempus omne, quod à pastorali sollicitu-

citudine reliquum est, studio impendas sedulus, & in absolvendo egregio illo ac laborioso prorsus opere, quod in Concilia sacrâque Traditionem incredibili eruditorum omnium gaudio & expectatione moliris, jam pridem strenuè colloces; ut invisus nulli, nemini non gratiosus omnium existimatione & amoribus perfruaris!

Sed quò me studium tui, præposterum fortè, quantumvis ardens ac sincerum rapit; ut tibi unus non amicus fiam, dum hæc palàm commemoro, quæ clam esse modestia tua frustra voluerit. Abstineo tamen pluribus, Ecclesiæ Princeps Illustrissime, ne Patrocini tui, ultrò quod offers, ne benevolentia tuæ, quam impensius ambio, fructu videar excidisse.

PROLUSIONES

Ad ineundum certamen Philosophicum.

Pro Thesi D. Guillelmi Briçonnet.

INvitus à te tam humaniter, ut cæteris aperirem disputandi contra te viam, unum poteram subvereri, ne, cum illis in promptu sit, de te quid sentiant, palàm & apertè citràque invidiam omnem aperire; mihi propter veterem necessitudinem, quam assentationi proximam vulgò jaçitant, gestientis animi sensus efferre in medium non liceret.

Verùm abundè provisum est timorì nostro, dum eam fecisti existimationem tui, quæ nemini obscura sit. Nòrunt quippe omnes sagacitate.

ingenii tui, quod intricatissimi abstrusioris Philosophiæ nodi non impediunt; nōrunt constantem & assiduam in Litterarum studio diligentiam, quam labores nulli defatigant; nōrunt candorem illum suavissimæ indolis, cujus illecebris omnium devincis animos; nōrunt ingenuos, & ad singula cū pietatis, tum urbanitatis officia compositos mores, quibus cæteris exemplo esse meruisti; nōrunt, inquam, hæc omnes, &, me vel tacente, prædicarent.

Perge tam secundis auspiciis, Nobilissime Adolefcens, ad amplissimos honorum gradus, quos Illustrissimi Majores tui non virtute minùs, quàm nominis sui gloriâ consecrârunt. His illi instructi præsidii, quæ jam in te tam feliciter adumbrat suspicimus, ad eas dignitates, quæ sunt in Foro & in Clero summæ, pervenerunt. Testis mihi Robertus Briçonettus, quem mira vis ingenii, eruditio perfecta, summa dicendi laus, singularis rerum usus, vigilantissimi Præfulis in Ecclesiâ Rheimensi defunctum muneribus ad supremam Cancellarii dignitatem evexere.

Testis Guillelmus Briçonettus, Vir maturitate judicii, integritate, prudentiâ, fide clarissimus, qui Archiepiscopus ac Primas Narbonensis cū jam esset, sacrâ Purpurâ postmodum decoratus, denique ob navatam Carolo VIII. difficillimis in rebus operam regni totius administrationi præfectus est.

Testis Augustus Franciscus Briçonettus, cujus memoria recens adhuc in Majore Concilio, ubi Primi Præsidis tantâ cum dignitate partes non ita pridem sustinebat, eum nobis exhibet Virum, qui sic mollescere nescius visus est, cū jus & æquitas postularent, ut in cæteris nemo foret illo ad omne genus obsequii paratior; sic retinens gravitatis,

vitatis, ut eam ad consolandos miseros, quibus erat parentis locò, ultrò deponeret; denique sic infimis pariter ac summis venerandus, ut esset quoque carissimus.

Tu verò, qui vestigiis tantorum Virorum, quantum ætas patitur, jam insistis, Nobilissime Adolescens, cum te olim suum Curia vindicârit, tam florebis * in Foro Juris Legûmque peritiâ, quàm politionis Litteraturæ laude, dum esses nobiscum, floruisti. Ut neminem passus unquam es, qui non tibi laboris studio esset inferior, sic assiduitate, diligentiam cæteris aliquando prælucebis: & quam in solvendis involutis quibusque Philosophiæ ambagibus dexteritatem atque solertiam nunc exhibes, eandem tunc in dirimendis litibus implicatissimis exhibebis.

Atque ut uno verbo complectar omnia, domesticarum virtutum æmulator, sicut festivitate ingenii, urbanitate morum, pietate, comitate in omnes Matrem amantissimam, ita contentione animi, doctrinâ, opinione probitatis Illustrissimum Parentem referes; quem non tam generis splendor, & illius, quod gerit muneris amplitudo, quàm judiciorum scientia, labor, vigilantia, sincerum æquitatis studium, candor animi, & singularis quædam fucique omnis expers humanitas commendant. Verùm sentio, dum tuis gentisque tuæ laudibus immoror, præripi à me aliam laudis materiem, quam tu tibi ipse ingeniosis responsis facturus es. Quamobrem, &c.

ALIA.

* *Dictum olim probavit eventus. Præsidis in tertiâ Inquisitionum Curia munere defunctus, magnam in rerum Forensium scientiâ laudem adeptus, & incredibili omnium desiderio ante annos extinctus est.*

*Pro Thesi D. Henrici - Francisci à Paullo
d' Ormesson d' Amboile.*

Hodie Consistorianus Comes Ararii moderandi Præfecturâ defungitur.

Quid isthuc moris est, Adolescens Nobilissime, vel unde tam cupida contentio, tam rixarum amans Philosophia, ut amicos inter conjunctissimos patiatur lites, ac diffidium velle? Tene servire huic consuetudini, & instituti Philosophici tam rigidum custodem esse ac satellitem, ut hominem tibi tam multis, ut tute nominibus devinctum ad ineundum singulare tecum certamen provocas?

Si tua illa Philosophia has mihi partes demandaret, ut in isto Virorum Illustrium consessu palam aperirem, quam egregiè fueris de magistra illâ vitæ ac morum disciplinâ toto biennii curriculum meritus, quantum Academia nostrâ gloriatur, quod te hospitem atque alumnum habuerit, quam grave apud omnes, dum hinc abscedis, relinquas desiderium tui; hæc si mihi, inquam, provincia traderetur, ut ultrò volensque oblatum commendandi de te, quid sentiam, locum arriperem, ut facultati nostræ qualicumque gratularer, cui tam ampla præconii materies contigisset! Tunc enim relegens animo singulos, quos decurristi in hoc Lyceo, studiorum gradus, narrarem, quantæ olim vel in puero mirati sumus ingenii maturitatem, & supra sortem ætatis nihil indignam viri prudentiam. Prædicarem, ut annis crescentibus
vidimus

vidimus adolescere pariter illa virtutum semina, quæ tibi natura felix inſevit, Parentis optimæ pietas ac ſapientia excoluit, liberalis educatio promovit, tuum ipſius ſtudium ac diligentia perfecit. Retexerem plauſus illos, qui tibi dati ſunt, vel in Scholis, cum ingenii doctrinæque laureas acciperes, vel in Theatris, cum personam tantâ cum dignitate ſuſtineres, vel in hac Philoſophorum palæſtrâ, cum Theſes, uti nunc facis, propugnares. Dicerem, ut verſatus hîc nobiſcum es per rot annos ſine cujuſquam vel offenſione vel querelâ; ut reliquis ſemper pietate, ſtudio, docilitate, modeſtiâ, integritate morum præluxiſti; ut puerile nihil cum ſaperes, nullius in te invidiam, ſociorum omnium exiſtimationem ac benevolentiam concitâſti; cujuſ rei vel unum hoc argumentum eſſe poſſit, quòd illi te communibus ſuffragiis Sodalitii Deiparæ Præſectum ac moderatorem elegerunt: quo in munere ita te geris, ut publico dignus iudicio videâre.

Hæc ſunt, Adoleſcens nobiliſſime, quæ, ſi Philoſophiæ leges paterentur, cum eâ ſecuritate extollerem, quam conſenſus omnium atque approbatio facerent. Aut ſi laudes ejuſmodi etiam debitas modeſtus quidam & inſitus tibi pudor reſpueret; quàm ego lubens immorarer in recolendo inprimis & nunquam ſatis prædicando Ormeſonii nomine, quod vel appellâſſe ſolum, laudâſſe eſt, ad eò gratiſſimam ſtatim reſtricat Illuſtriſſimi Avi tui memoriam; quem ſpectata toties rebus in arduis probitas, fides, æquitas ſuis amabilem, adverſariis, ſi quos habuit, verendum, carum omnibus atque admirabilem effecerunt: apud quem ſolitudo atque innocentia certum præſidium ſemper habuere: qui in cauſâ difficili æquè ac lubricâ afflictae ſaluti opitulari maluit,

T

quàm

quàm videri quidpiam aut gratiæ, aut ambitioni, aut privatis offensionibus tribuisse: qui in excedendo Magistratu constanter & ubique magnus eodem abdicato major visus est. Cui spectari integritatis fama plus auctoritatis ac ponderis quàm plerisque muneris dignitas atque amplitudo conferebat. Quo iudice atque arbitro, homo privatus cum esset, plures majorésque controversiæ componi vidimus, quàm apud ipsos Iudices dirimerentur: cuius vita denique tota ingens documentum extitit, virtutem esse per se ipsam laudabilem, & nullis ad veram gloriam fortunæ præsidium indigere.

Talis tantusque vir, mirum, nisi similem filium procreasset. Ille vix in ipso ætatis flore nobilissimæ provinciæ præfectus & paternæ laudis studiosus æmulator, quàm egregium hodie perfectissimi magistratûs exhiberet specimen, quàm acres tibi, Adolescens Optime, ad eandem gloriâ assequendam stimulos adjiceret, nisi præmatura mors, tibi vivam paternarum virtutum imaginem, nobis segetem laudis amplissimam, totæ Galliæ decus ingens atque ornamentum invidisset.

Quanquam hortatorè non eges, neque feliciorem per te ipsum ad majora opus est, quisquam ut extimulet. At si in novo, quod jam jam ingreditis, rerum curriculo desiderabis aliquem ciliioris viæ comitem aut ducem, habes ante oculos, Nobilissime Adolèscens, proximâ conjunctissimum affinitate Virum illum, quem sequi tantum est, imitari gloriosum, assequi laudis ipsius cumulus haberi possit.

Felicem te, Nobilissime Adolèscens, qui te aptus ex te ipso ad magna quæque, tantum super à domesticis, quæ te undique circumstant exemplis præsidium invenias. Neque enim quæquam

quam hîc adjicio de clarissimis Majoribus, quos tibi materna nobilitas suppeditat, Illustrissimam intelligo Magistrorum familiam, quæ augustissimo Galliæ Senatui tot Senatores, tot Præsides omni laude cumulosos dedit: ac præsertim Ægidium illum Magistrum Senatûs ejusdem Principem, virum difficillimis rei Gallicæ temporibus, tam bene de Religione, de Patriâ, de Rege meritum.

Sed vereor ne progressus fortè longius ego sim, quàm Philosophicæ leges patiantur, neque tam pugnaturus tecum in arenam descendisse videar, quàm meo erga te studio facturis satis. Quare ut consuetudini morem geram, &c.

A L I A

Pro Thesi D. Francisci - Victoris de Breteuil Tresigny.

Cùm systemata Philosophiæ veteris ac nova Proponeret, Defenderet, Conciliaret.

NOVUM prorsus, insolens & operosum quiddam aggredieris, Nobilissime & ingeniosissime Adolescens, qui tam multas tam discrepantes inter se, tam ex adverso positas Philosophiæ cùm veteris, tum novæ Opiniones non proponere modò, vel tueri, quod paucorum est, sed etiam conciliare, quod vix quisquam ausus est ante te, profiteris.

Tu scilicet generosam imitatus audaciam,
 T a
 quam

quam paternæ nobilitatis symbolum * Accipiter præfert, ibis per tot Philosophiæ anfractus & ambages, quocumque adversariorum æmulatio aut etiam malignitas jusserit?

Tu non minùs constans eris ac securus, quàm solet esse medias inter procellas, materni generis specimen, Aquila, * neque te ulla in isto, quod ingrederis bellandi genere inusitato, pericula terrentabunt?

Tu Clypei * illius instar, quem armis hostibus impervium fuisse sacri Codices testantur, & bis contra omnium oppugnantium tela invictus & illæsus?

Quin & hoc etiam polliceris, quod sol * exoriens rerum universitati præstat, id te vel in prima Adolescentiæ flore Orbi Philosophico commodaturum, nihil ut sit tam abstrusum, quod non erit tam obscurum, quod non illustres, tam reconditum quod non pandas?

Mirum illud profectò, & singulari plenitudine confidentiâ illis fortè videbitur, qui vim ingentis tui, perspicaciam, & partam assiduo longioris curricula labore eruditionem non noverint. Nobis verò, qui rerum à te in hoc Lyceò feliciter gestarum seriem, qui palmarum tuarum gratissimam memoriam usurpamus, non est, nisi quod tibi per rimam gratulemur.

Tamen ubi tam felix occurrit tibi gratulatio seges, quid dicam de te, Nobilissime Adolefcenter, qui unas mihi tecum dimicandi partes relique-

** Corpus primi symboli, quod præferes Thefis, præfertur hoc Lemnate: Quò jusseris, ibit. * Corpus secundi symboli, cum his vocibus. Nec tanta pericula erunt. * Corpus tertij symboli his superadjec-tis: Tela omnia contra. * Corpus quarti symboli hac verba præferens. Omnia pandet.*

An non ergo durum hoc satis mihi videri debuit, quòd Illustrissimus parens tuus, vir omni commendatione major, propensissimum meum erga se totamque clarissimam familiam tuam studium represserit; quòd severam imposuerit mihi legem, ne prædicarem de se vel splendorem eximium antiquæ domûs cum singulari modestiâ conjunctum, vel præstantissimæ mentis sublimitatem admirabili moderatione temperatam, vel gesta ab ipso sanctè atque incorruptè munera collaudarem. Quòd nihil dicere me voluerit de nobilissimis Fratribus, quorum alterum hie intueor politioris ingenii virum, tantòque digniorem eâ provinciâ, quâ defungitur, quantò elegantiorum bonarum Artium amœnitatem cum aulicâ urbanitate conficiat, Alterum etiam præsentem videremus, nisi illum iussa Principis, & ingenitæ laudis æmulatio bellorum in periculis remorarentur.

Quanta enimverò cresceret hinc mihi orationis seges ac copia, si quid delibare liceret ex iis omnibus, si vel materni generis gloriam, grato, uti decet, animo prosequi, & tam in ipso totius familiæ capite superstitem venerari, quàm in illustrissimâ Parente tuâ, quæ sexûs sui dotes omnes ac virtutes cum habeat, nullis ejusdem vitiis, aut etiam nævis urgetur. Quæ ingenium, prudentiam, sagacitatem, constantiam, dignam natalibus magnanimitatem, & cætera, quæ præstantes viros commendare solent, in se complexa, unum hoc suis in rebus numerandum putat, si pietatem colere, rem domesticam administrare sapienter, plenam summâ expectatione sobolem feliciter instituere potuerit.

An non, inquam, iterum atque iterum peto, Nobilissime Adolescens, durum hoc satis mihi sit, quòd pro debita paterno imperio reverentiâ ist-

T 3

hæc

hæc prætermittere silentio cogor, nisi tu me in eas conjiceres angustias, unde nihil tibi pariter liceat gratulari.

Quamquam vel cum dolore tuo non temperabo mihi met, quin adversarii atque oppugnantoris partes tantisper oblitus palàm eloquar de te, quod sentiunt omnes, quod loquuntur, quod, vel me tacente, commendarent. Quam enim non excitasti apud unumquemque admirationem rerum tuarum toto illo studiorum curriculo, quod in oculis nostris tam gloriosè peregisti? Suscepimus in te adhuc puero prima fortunatæ illius indolis initia, quæ tibi moderatorum pariter ac fortiorum animos conciliavit: adolevit illa tecum, & quæ naturæ munus primò videri potuerat, mox longo studio & assiduo labore perfecta, maturæ rationis partus debuit reputari. Quantum hinc hausisti præsidium ad ingenuum morum candorem, quo præfulges, ad comitatis urbanæ gratiam, in qua superiorem habes neminem; ad ipsam pietatem, cujus studiosissimus semper exististi.

Jam ubi aut ingenio, aut eruditione, aut actionis ipsius lepore certandum fuit, quantos, quam frequentès, quam plenos cumulatòsque plausus, in scholis, in exedris, in scenis promeruisti!

Nihil ego vereor, Nobilissime Adolescens, ne quid ad assentationem compositum, nimio tuorumque studio, dixisse arguar. Locupletem habeo testem domum hanc totam, quam clarissimi nominis gloriâ cohonestasti, virtutum exemplis decorasti, & incredibili quodam tui desiderio jam afficies.

Perge hoc animo, Nobilissime Adolescens, perge sic præferre facem junioribus fratribus qui ætate quò te contingunt propiùs, eò laudabuntur.

lilic

liis tuis vestigiis insistant. Sed non video præripi tibi à me nobilissimi triumphii materiem, dum modestiæ tuæ vim facio. Quare, &c.

A L I A.

Pro Thesi D. Alexandri-Joannis-Baptista Lambert de Torigny.

Quid me cupidum pacis & rixarum osorem, si quis est, Philosophicum in stadium perennibus discordiis ac contentionibus obnoxium pertrahis, Nobilis & ingeniose Adolescens? Saltem si tuâ causâ mihi veniendum foret in arenam; si quo contra adversariorum tuorum tela clypeo, aut etiam ense ad laceffendum indigeres, paratum me ultrò, nec quamcumque fortis aleam pro te subire detrectantem invenires.

At illum provocari à te in singulare certamen, qui nihil tam doleret, quàm tibi nocuisse, hunc eligi hostem ex omnibus, qui tibi ante omnes amicus videri velit: estne hoc, amabo, humanitatis illius, aut etiam indolis bonæ ac candidæ, quam in te nemo non suspicit, nemo non amat?

Esto ingeniosus, uti soles; perspicax, eruditus, & in dissolvendis Philosophiæ ambagibus tam felix fortunatusque, quàm visus es non ita pridem, haberi possis; at vereor, ne parùm amicus videâre, & hoc, quo me laceffis hodie, facinus, rerum tuarum gloriam aut deterat, aut etiam obscuret.

Quid? Litem tibi intendi à me perperam credis? aut fortè fictum animi gratiâ videtur illud quod queror? Vis quempiam de controversiâ nostrâ statuamus arbitrum? Age, nihil moror: ademus Tribunal illius Judicis*, quem tibi ipse inter cæteros maximè velis contingere: quem reverentis & amas ut patrem, & à quo vicissim paternæ caritatis studio atque affectu diligeris. Magistratum illum intelligo hæredem avitæ probitatis, quem habere causæ suæ judicem nemo non ambiat: cuius creditas bene res suas ac fortunas quivis arbitrat; cuius in judicio Litigator etiam pertinacissimus ultrò ac volens acquiescat: adeò omnino opinione sagacitatem cum diligentia, probitatem cum urbanâ comitate, facilitatem cum æquitate laude componit!

Equidem, ut fatear, quod res est, cum sit tibi fidelis, magnificus ac constans amicus, si quæ unquam fuit, unum vereri possis, ne in tuorum amicorum partibus rigidum se præstet vindicem, & mihi violatum à te jus amicitiae conquerentem iudice Patronus existat.

Quanquam ne metue: absit, ut ullum patris tibi esse cum eo dissidium, quicum arduissimam vere necessitudinem omni officiorum genere debeas. Malim ego vel ingrata defungi oppugnantis provinciâ, si modò triumpho tuo servitiorum & quem tam auspiciatò ingredi paras laudis gloriæ campum, hunc mihi gratuler aperit.

ALIA

* D. Lambert in Curia Libellarum supplicum p. 107. ses. Adolescentis Patruus.

A L I A

*Pro Thesi D. Ludovici Abbatis
Chomel.*

Quò me evocas etiam è longinquo, & quàm alienam imponis mihi personam ab eâ, quam tueri vellem, Nobilissime Adolescens? Si veniendum mihi huc fuisset, vel ut spectator ac testis forem illius gloriæ, quam ex hodiernâ concertatione relaturus es, vel ut plaudem ac gratularer victori, vel ut in hoc amplissimo confesso profiterer palàm, quàm egregiam hîc concitâris apud omnes opinionem tui; advolâssem ultrò ac lubens, neque me locorum intercapedo, neque amœnæ solitudinis amabilitas, neque concessa per has ferias solitis à laboribus cessatio retardâsset, quominus propensissimæ meæ erga te voluntati statim obsequerer; & quod non æquitatis minùs, quàm veteris necessitudinis ratio postulat, publicum rerum à te tota decennio bene gestarum testimonium redderem.

Neque me verò parùm delectâsset tam conveniens animo meo materies; sive dicerem de singulari meo studio erga familiam tuam, quam obiti multâ cum laude magistratus, ipsa supremi Galliarum Cancellarii amplitudo, & contracta cum primariis Aulæ Proceribus affinitas hodièque nobilitant; sive de te ipso loquerer, ac prædicarem ingenii tui perspicaciam, suavitatem indolis, morum integritatem, pietatis studium, indefessum laborem, cujus vel id unum inficandum ne-

mini argumentum erit, quodd intermissum longiori ac repetitâ sæpiùs ægritudine studiorum curriculum, confirmatâ nondum valetudine operosius redemisti; & quod alii reparandis viribus tribuendum censuissent feriarum tempus, idem tu feriarum ac difficili, si qua est, exercitationi mancipasti.

Equidem scio dotes illas egregias, quas laudamus in te plurimum, ac suspicimus, fructum esse liberalis illius educationis, quam hausisti domi, cum ab illustrissimo parente, tum ab ipsâ piæ sedulæque matris operâ, cui nihil antiquius fuit, quàm ut in te & amantissimo fratre tuo, cui Rex ante tempus ad ineundum Magistratum viam aperit, excoleret felicem indolem, & bene præparatos animos documentis pariter atque exemplis ad singula virtutum omnium officia informaret. Verùm quis neget esse hunc in adolescentiâ laudis cumulum, si disciplinam bonam apponere lucro nôrit, & credita sibi rerum optimarum semina valeat feliciter promovere.

Hinc vides, Adolescens Nobilissime, quàm læta mihi surgeret dicendi copia, nisi me adversarium malles, quàm laudatorem. Ergo, & tibi ut obsequar vel invitus, aggrediar, &c.

A L I A

Pro Thesi D. Achillis de Soubeyran.

ECce postremis nunc demum hujus Lycæi laboribus perfunderis, nobilis & ingeniose Adolescens, & emensus feliciter longioris curriculi stadium optatam jam diu metam propè
con-

contingis. Restat una discriminis alea, quam sub-
 eas in præsentia, aut potius imminet nova pal-
 marum seges, quam veteribus laureis adjicias.

Verum quid dicam de te, aut potius quid
 non querar, quem in hodiernâ contentione unum
 inter cæteros adversarium elegeris? An levioris
 operæ victoriam illam fore censuisti, si defuetum
 multos jam annos Philosophicæ palæstræ pugilem
 ad certamen vocares? An titillasset fortè juveni-
 lem animum ea laudis æmulatio, ut cum magistro
 olim tuo certâsse dicereris? an, quia contentio-
 nes ac rixæ solent esse inter amicos amoris ipsius
 integratio, sperâsti novum aliquod ex hac con-
 certatione veteri nostræ necessitudini pondus ac-
 cessurum?

Quæcumque demum fuerit consilii tui ratio,
 cum me descendere tecum in arenam voluisti;
 ego certè apponam lucro, quem tu mihi præter
 opinionem tuam commodum offers locum præ-
 dicandi de te, non tam quod ipse sentio, quàm
 quod omnes, quotquot te nôrunt, palàm lo-
 quuntur.

Quanquam modestiæ tuæ facere vim jam vi-
 deor, & qui statim se prodit in vultu tuo pudor
 ingenuus, silere me jubet. Sed an æquum est
 tibi morem ut geram? an, si indulgeam voluntati
 tuæ, florentissimæ hujusce domûs declinabo of-
 fensionem, ubi tam illustria dedisti per tot annos
 virtutum omnium exempla, nisi saltem ipsius no-
 mine gratias tibi quas debet, & rependit ultrò,
 referam? Nisi profitear palàm, quàm grave jam
 injicias apud eos desiderium tui, quibus societate
 tuâ deinceps carendum sit? An dissimulare mihi
 liceat, quàm suavis & amica nobis rerum à te ge-
 starum memoria futura sit, cum te absente atque
 inscio retrahabimus candorem animi, suavitatem
 indolis,

indolis, morum innocentiam, pietatis studium, quibus sic præfulges inter socios, ut illi te in sodalitiis Deiparæ Virginis moderatorem ac præfatum communibus suffragiis assumpserint.

Gratulentur enimverò sibi Parentes optimi, quorum piæ sollicitudini tanto cum sænore responderis. Gratuletur sibi parens amantissima, quam non matrum de more tibi muliebriter blandientem, sed stimulantem ad magna quæque persequens. Gratuletur multò magis parens optimi dignum hæredem sui nominis ac virtutis, & tam beatum prole suâ se putet, quàm tu parente felix videris. Magnum illud est, quod dico, atque haud scio, an quidquam ad commendationem tuam dici queat illustrius? Nam ut sagacitatem ipsius, prudentiam, dexteritatem in agendis rebus prætermittam; quis illo aut melior, aut amantior æqui, aut amicus deditior, aut imitari pariter ac summis vivit acceptior? Testes appello viros, quotquot hîc adsunt, amplissimos, apud quos tanto in pretio est; testes volo conferentissimos illos egenorum atque inoptimi greges, qui in Xenodochiis versantur, quorum commodis impendit se totum ac devovet.

Sed dum mihi tacitè suffragantur omnes, sentio orationi meæ reclamari ab iis unis, quibus placuisse imprimis ambiam. Quære, &c.



ALIA

A L I A

*Pro Thesi D. Jacobi Chauvelin De
Beaufejour.*

Acturus hodie tecum contra mentis huma-
næ *spiritualitatem*, quam vocant, cujus &
præsidio fretus ejusdem mentis immor-
talitatem defendis; unum, ut fatear quod res est,
sentio argumenti genus, à quo non mediocriter
pertimescendum mihi sit. Neque enim argumen-
tum illud aut petitum est extrinsecus, aut de-
promptum Philosophorum è scholis, quod in-
fringi rationibus, aut saltem infirmari posse vi-
deatur. Imò video tam fore planum illud ac
plausibile, ut omnium feriat oculos, & nullum
ambiguitati relinquat locum. Quid multa? Aliud
etiam adversario tuo incommodum impendet,
quòd argumentum illud semper habeas ad ma-
num; quod in te ipso positum sit; quòd ab eo-
dem abstinere non sustineas. Vide ergo, quàm
iniquis ego conditionibus ad certandum acce-
dam, cui cum hoste tam egregiè comparato di-
micandum incumbat. Tamen si velles in hac
concertatione nostrâ, ubi de spiritali animâ con-
troversia instituenda est, hoc indulgere mihi, ut
ad decidendam ejusmodi quæstionem de te ipso
conjectura non fieret, tibi ultrò volénsque per-
miserim, ut in reliquis rationum momentis li-
berius excurras. Nam quo probare apud eum
pacto aggrediar animam non esse spiritalem, in
quo spiritus tam purus, tam vividus est, nihil ut à
corporeæ molis societate ac contagione patiatur?
qui

qui

qui tam acutum cernit in rebus, nihil ut abstru-
sum ipsi, nihil implicatum, nihil invidium occurrit.
Fuit enim vel à teneris fortunata præstantissima
tuæ mentis conditio, Nobilissime Adolescens, ut
ipsius pueritiæ ignoraret tenebras, & supra for-
tem ætatis altum nescio quid ac sublime saperet.
Hinc tot palmares laureæ, quas in hac ingenio-
rum palæstrâ tam constanter messuisti, ut multi-
plicem certaminum tuorum varietatem victoria-
rum ac triumphorum numero metiri possis.

Quamquam hæc est nobilissimæ familiæ tuæ
ingenita laus, quam hæreditario jure tibi vindicas,
ut ingeniorum ferax in primis audiat. Habes scilicet
in illustrissimo Parente, præter cæteras, quibus
abundat, animi dotes, auream morum pro-
bitatem, sincerum pietatis studium, spectatam in
judiciis æquitatem, charitatem in propinquos, in
amicos fidem, constantiam in laboribus, in per-
fungendo magistratu vigilantiam; habes, inquam
uberrimos diuissimi ingenii fontes, unde locuple-
tes ad te rivuli jugiter promanant. Habes in aman-
tissimo Patruo parentem alterum, qui, dum abest
ille gravioribus pro Regis Regniq[ue] gloriâ nego-
tiis distentus, piam tibi sollicitudinem impendit, &
infitos bonæ mentis igniculos omni ope ac studio
fovet, alit, inflammat. Imò familiaris est ingenii
gloria nomini illi quod geris. Testis egregius ille
vir, * & omni prædicatione major, cujus suavissi-
mam hodièque memoriâ provinciæ, quibus tot
annos præfuit, recolunt; quem Consistoriani Co-
mites singulari præditum sapientiâ venerantur,
& amant multò magis devotissimâ in omnes [vo-
luntate conspicuum. Testes ejusdem liberi pa-
renti simillimi; quorum Alterum Gallia tota su-
spexit perfectum omni laude & cumulatam sine
rivali

* D. Chauvelin Consistorianus Comes.

rivali Oratorem; eundem præmaturo raptum funere lugere etiamnum non desinit. Alterum jam plaudebat sibi stimulis paribus ac præidiis ad fratrem decus festinantem, nisi majoribus pro publicâ re obeundis muneribus servaretur.

Sed nã ego lævus, qui diutiùs istis immorer, unde gravius causæ illi, quam tuendam suscipio, detrimentum accedat. Quare, &c.

A L I A

Pro Thesi D. Nicolai Le Breton.

FAustum habes hodiernæ concertationis augurium, Adolescens ingeniose, cui semel atque iterum tam feliciter præluseris. Testis ego palmarum tuarum, & congressus tecum in Philosophico stadio novi, quibus ad certandum denuð præidiis instructus accedas. Verùm tam bene comparatus ad rem gerendam viriliter, & dignos ingenio tuo, dignos eruditione plausus promerendos, utri plus debes, Naturæ an Arti? Equidem novimus quàm acrem ingenii vim, quàm capacem eruditionis bonæ, quàm patientem culturæ liberalis animum nactus fueris; sic ut arrisisse tibi Naturâ benignior, & tanquam parens optima carum inter ceteros alumnorum fovisse amicis videri possit. Tamen, mihi crede, habes unde institutioni, quam sortitus es, gratuleris impensis, qui Parentem optimum juventutis tuæ doctorem ac magistrum inveneris. Sobolis ille amantissimus non te alienis educandum manibus, aut liberalibus disciplinis informandum tradidit.

Ipsè

Ipse sumpsit hoc sibi, ut statim à pueris os filii ternerum figuraret; ut prima insereret eruditionis ac doctrinæ semina, unde uberiores deinde fructus colligeret. Hic affixus tuo lateri morum custos incorruptissimus non te opprobrii cuiusvis expertem modò atque integrum servavit, qui virtutis honos primus est, sed per arduam ac difficilem virtutum omnium semitam securum tibi aperuit. Hic te patientem laboris, bonarum artium cultorem, honestatis laudisque æmulatorem effecit. Nihil te sanum profectò patris huius pœniteat, Adolescens optime, cui gratiam habeam tam singularem referendam. Hoc unum provido, ut, quo cœpisti primùm, eodem pergas pede; quem inoffenso vestigio fidum hætenus ac tutum vitæ ducem secutus es, eundem deinceps mentem sana & ad meliora stimulantem conseceris.

A L I A

*Pro Thesi D. Ludovici Chauvelin, quæ
Oratoris olim in supremâ Curia Regii filius est.*

QUDD vocâsti me hodiernæ concertationis partem, habeo quas tibi plurimas referam gratias, nobilis & ingeniose Adolescentum. Nam cum mihi dulce est servire gloriæ tuæ, amplam tibi nobilissimi triumphis segetem apertum nihil esse potest optatius, quàm testari palam meum erga te animum, & devotissimam jam familiae tuæ voluntatem.

Verum

Verùm quàm ægrum inde mihi desiderium renascitur, unde suavissima gratulatio se offert. Frustra requiram oculis in hoc amplissimo cœtu, Virum illum, quem ego, quem tu adesse præter cæteros vellemus, quem nobilissimi, qui hîc ad-sunt Magistratus, & clarissimi Ordinum omnium Principes tam lubenter, tam cupidè intuerentur. Virum, inquam, illum, de quo meritò dubites, plûsne naturæ præsidii, quàm partis ab arte, soler-tiâ, exercitatione momentis deberet; apud quem ingenii sublimitas, summa dicendi vis, nativa ser-monis gratia, sibi principatum vindicabant; qui civilibus ac domesticis virtutibus circumseptus, pius si quis fuit, filius, bonus parens, conjux opti-mus, studiosus consanguineus, fidelis ac genero-sus amicus omnium judicio habitus est: cui oranti causas in Foro totus Senatus, universa civitas to-ties applaudit: quem controversiarum suarum ju-dicem aut arbitrum nemo non ambiit, nemo re-fugere visus est, nemo, vel cùm lite caderet, in-cusavit; adeò incorruptus æquitatis amator au-diebat! qui raptus in ipso ætatis flore acerbissi-mum toti Curia, Regi ipsi æquissimo virtutis æsti-matori, bonis omnibus merorem attulit. Sensisti ipse, Adolescens nobilissime, nam cur apertum publicæ opinionis testimonium vel cum dolore tuo præteream? Sensisti, inquam, ipse, cùm in re-centi luctu atratus totus solenne Theatrum pal-mari eruditionis, & ingenii laureâ decorandus con-scenderes, ut ad aspectum tuum & nominis tui appellationem, non tam plausus, quàm piam confertæ multitudinis miserationem commo-veris!

Nam quis pueritiam tuam fortissimo dulcissi-moque præsidio non doleret orbatam, cùm nova postmodum ex amantissimæ matris jacturâ lugendâ

U

leges

seges accessisset? Quanquam non fuisti omni solatio destitutus, cui tam multa informanda & erudienda Adolescentiæ tuæ adjumenta superfuerint. Nam cur reficere verear felicem avi paterni memoriam, qui postremos contrita in assidua virtutum omnium exercitatione vitæ annos tibi liberaliter indulxit, qui honorificâ defunctus cum summâ probitatis laude præfecturâ, Consistorianus demum Comes effectus, perfectam tibi consuetudini Magistratûs imaginem reliquit.

Verùm quid præterita requirimus, cum magnum etiamnum habeas in illustrissimâ familiâ tuâ orbitatis tuæ patronos, & domestica, quocumque te vertas, rerum bene gerendarum exempla. Appellarem illustrissimum Patrum tuum, nisi probè intelligerem, quantum ab omni laudum suarum commendatione refugiat: Patrum dico, quoniam tu merito colis ut patrem, quia paternum tibi avum impertit, quia fraternas virtutes exhibet ad exemplum, ingenio, comitate, morum elegantia, generose feliciter Magistratûs gloriâ fratri simillimus. Neque verò mirum est, quòd tam arcta fratrum utrumque jungeret olim concordia, quibus similes animos eandem ad magna quæque indolem mentis iniecit. Atque hæc dicenti mihi nullus opinor refragabitur, qui, dum Fratrum nobile per te sub disciplinâ nostrâ, quod honori duxi semper adolesceret, felicia jam tum virtutum illarum pericula deprehenderim.

At, si rigidum mihi de se silentium imponere Patrus ille tuus, non silebo certè paternam Aviam omni laude majorem. Commemorabo tuam curam, attentionem, vigilantiam, & piam pro educatione sollicitudinem experiris: quibus quædam charus, quàm dilectus habeâre, tuo ipsius pericula

pervidisti. Meministi, cùm nuper de tuâ salute graviter angeremur, qualis fuerit totius familiæ tuæ mœror, anxietas, ægritudo? Ut omnes vicissim domum istam solidos per dies completerent invalescentis aut remittentis morbi assidui & indefessi exploratores; ut alternantibus tristitiâ & gaudio, tecum ingravescere, tecum convalescere viderentur. Non tacebo Eminentissimum Cardinalem propinquâ tibi affinitate conjunctum; cui lumen ingenii, eruditionis gloria, Religionis studium, comitas morum, atque affabilitas plus admirationis apud omnes, quàm aut splendor natalium, aut sacra Purpura contulere; qui pro suavissimo, quo te affectu complectitur, dolebit hujus diei celebritatem sibi ereptam fuisse.

An tibi liceat tot inter præsidia & domesticarum incitamenta virtutum non æmulari grandiora, & mediocritate quadam esse contentum? Equidem scio, quò tua te indoles ferat, quàm nihil ab avitæ laudis æmulatione degeneres: quàm eximium in hoc Lycæo ingenii tui specimen dederis; quàm exquisitum Litteraturæ politionis guttum præ te feras, quàm acutum cernas reconditis & abstrusis in disciplinis. His rei bene gerendæ rudimentis cùm ætas, labor assiduus, & ipsa negotiorum facultas accesserint, dignum te profectò votis, quæ pro te facimus, dignum lætissimâ familiæ tuæ expectatione præstabis.



U 2

PRO

PRO PUERO

*Concertationem Theologicam au-
spicante.*

Quæ societas est Pueris cum grandioribus
maturâ jam ætate Viris ; & quod esse possit
infortiæ nostræ cum vestrâ eruditione com-
mercium, ut non modò in hoc sacrosanctæ Theo-
logiæ domicilium nobis aditus pateat, sed doctis-
simis difficillimisque concertationibus veluti be-
nem præferre debeamus? Mihi certè perfructum
hujus institutionis consilium, visum est hoc præcep-
tissimè sapientissimos antiqui moris Principes, ut be-
neminibus Theologis imitandam suis in studiis atque
disputationibus ætatis nostræ naturam indolentem
que proponerent, à quâ deflectere sine grandi
periculo non liceret.

Est enim nobis Pueris insitus quidam candor
ris & veritatis amor, ex quo Deus ipse, si quis
divinis Litteris credimus, suam perficere laudem
ambiat. Per nos fuci expers ac cerussæ nuda
araris loquitur, & ambages ac tricas perosa ne
lit quemquam, nec adulari cuiquam didicit. Ne
pariter Theologi cujusvis præcipua laus: hoc
decus, tanquam summum gloriæ apicem, con-
stetur; ut vel levissimas Erroris umbras non am-
veat à se modò, sed veritati amicus uni captivum
eamdem in injustitiâ detinendam esse turpis
lator nunquam existimet.

Quid de meâ illâ conjecturâ sentiendum
deatur, tuum judicium, sapientissime Magister
noster Præses, tua existimatio sit. Ego inter
pro

pro commissâ mihi provinciâ propositam Quæ-
stionem aggredior in affirmantem & negantem.
In affirmantem quidem sic, &c. In negantem
verò sic, &c.

A L I A

*Pro Puerò inter Melitenses Equites
adscripto.*

Mirum vobis fortasse videbitur, Magistri
nostri sapientissimi, quòd in hunc locum,
ubi non armis, sed ingenio & eruditione
tota res peragitur, ego tam alieno à vestris mo-
ribus habitu, videar ad dimicandum paratior,
quàm ad disputandum prodiisse. Nihil tamen noster
hic ensis vos terreat: qui me si ab hujus con-
certationis aditu, tanquam extraneum, arceat, id
saltem exorabit Crux illa, quam gerimus, ut inter
vos vestrisque adèd in subselliis locum aliquem
promereri possim.

Est enim vestrum inter amplissimum, & eum,
in quem adscripti sumus, Ordinem affinitas tanta,
tanta cognatio; ut alter alterius opem poscere,
& amicè conjurare videatur: adèd mutuis &
communibus uterque officiis propugnandæ Fidei,
tutandæ Ecclesiæ, Religioni fovendæ adlaborat.
Vos, Ecclesiam qui regant, Pastores educatis ac
Doctores: Nos, qui pro eadem dimicent, Milites
exercemus. Vos, nequa germanam Fidem cor-
ruptelæ labes inficiat, satagitis: Nos, ne quid ea-
dem ab hostibus suis detrimenti capiat, procura-
mus. Vos intestinis bellis, nos exteris provide-

mus. Vos Romanam Religionem doctrinâ vestri
 Hæreticis metuendam exhibetis. Eandem nos
 morum gloriâ Populis infidelibus formidabilem
 simul ac verendam præstamus. Verbo dicam
 sicut in pace Ecclesiæ columnen, præsidium ac de-
 cus Sorbona, sic in bello Melita ejusdem Eccle-
 siæ propugnaculum, arx firma & ornamentum me-
 ritò nuncupanda. Quare pro eâ, quam Doctores
 inter Sorbonicos & Equites Melitenses intercedere
 oporteat, necessitudine, licebit, credo, mihi
 propositam à doctissimo Domino Baccalario
 Quæstionem aliquid disputare.

 GRATULATIONES

*Adepturis sacram Doctoris Theologi-
 lauream.*

F St hæc fatalis hominum conditio, nihil ut me-
 gnium, nihil exoptandum ipsis propositum
 quod magnis & assiduis eorum laboribus re-
 mi non debeat. Pulchrum quiddam est, & omni
 prædicatione superius, quod ambis; N. Habet
 Gloriam Lauream nescio quid, quod percellat oculum
 quod ambitionem titillet, tantòque potentius rapit
 animos in amorem sui, quantò videtur ea laus
 jorem ingenii & eruditionis famam præ se ferre.
 At quanti laboris fructus est ea gloria, quæ simi-
 lis acrioribus urget optimum quemque, & de-
 derio sui avidum laudis animum incendit.

Unum ego te volo testem. N. cujus ab
 eunte ætate cogitationes eò pertinere, ut
 stabilem Theologos inter Doctores locum me-
 xeria

reris. Age; quantum tibi in eo, quod ingressus es, curriculo sudandum fuit? Per quot salebras ac vepres, quàm difficiles per angustias tibi faciendus aditus, antequam votorum tuorum metam proximè contingeres? Mitto prima Literarum studia, quibus vel à Puerò animum excoluisti; sileo Philosophiæ tricas atque ambages, quas expediendas ac resolvendas habuisti; Prætereo varios illos periculorum casus, quos toties occupasti impiger, ut Theologicum in stadium erumperes. Verùm quàm nova, quàm difficilis, quàm longa laborum series tibi deinceps occurrit. Quantum operæ ponendū fuit in dissolvendis Theologiæ Scholasticæ nodis intricatioribus, in explicandis sacrorum codicum oraculis, in volutandis defricandisque sanctorum Patrum voluminibus, in relegendis vetustioribus Traditionis veræ monumentis, in repetendis, ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis, rerum gestarum, quæ tam ad doctrinam, quàm ad disciplinam pertinent, Annalibus. Tanti pretii visa est illa gloria, quam tibi tot laborum amplissimam mercedem proposuisti.

Fruere illâ enimverò, & citra cujusquam invidiam fructus, jam referendus verendum Doctorum in ordinem, quorum societate ingenii tui vis ac perspicacia, indefessa contentionis assiduitas, & parva eruditionis tam sacræ quàm profanæ suppellex dignum te reddiderunt. Neque tu venies illis socius non amicus, qui tot præditus meritis magnum totius ordinis decus & ornamentum futurus sis.

✻ (o) ✻

U 4

ALIA

A L I A.

Quod longâ difficilique navigatione defunctis contingere solet, ut ad propioris portus aspectum respirare tandem incipiam, hoc ipsum tibi quis deferendum ultro non putes, N. ut Theologici maris cursum emensus & optata stationi redditus tantumnum paulum conquiescas. Neque in eo, quod decurristi feliciter, Oceanus locus otio aut desidiæ fuit. Remigandum habuisti fortiter adversus tumentes ac procellosos Errorum fluctus, qui fragilem, quam regebis cymbam identidem concussere. Fuit exerenda sagacitas atque solertia, quâ latentes periculorum opinionum syrtes ac scopulos declinaret: pugnandum imperterritâ & invictâ mente adversus impugnantium hostium impetus, qui tibi parvas opes auferre velle, vel amicum invidere litus videbantur. Non extimuiisti tot periculorum casus prudentem te ac strenuum navigii tui moderatorem exhibuisti: cumulatam ex omni parte victoriam tibi pro jure tuo gratularis. Appone lucro gloriam illam, quam meritus es, & in umbra palmarum tuarum conquiesce.

Quamquam quid requiem loquor, ubi novus labor exurgit? quid gratulor victoriam, quando metuendos hostes æmulatio laudis rursus excitat, quæ partum triumphi decus invident? Quid portum vel arenam commemoro, ubi novum maris æquor arandum incumbit? Sic est difficilis & laboriosa tibi restat etiamnum via quam peragas, nec leve vel roboris vel industriæ specimen edendum superest.

Tamen

Tamen nihil est ipse, quod metuas, aut quod metuamus tibi. Habes in conscientia inchoati scienter ac viriliter cursus, unde prosperum navigationis exitum tibi polliceare. Habemus nos in rebus à te tantà cum gloria gestis, unde felix reliquæ peregrinationis conjiciamus augurium, & plenum victoriæ cumulum vel ante tempus tibi gratulemur. Una brevissimi temporis restat mora, cujus detrimentum, si quod videri possit, uberiori palmarum sænore compensabis.

A L I A.

ERat hoc apud veteres cum Græcos, tum Romanos in more positum, ut spectati virtute pugiles, multarumque palmarum Athletæ rude donarentur; & impetratâ missione non cogèrentur ultra discriminis aleam subire. Hæc porro consuetudo apud nos hodie si vigeret, N. quis te pateretur descendere rursus in arenam; qui his ingenii doctrinæque certaminibus egregium dedisti tam sæpe solertiæ tuæ atque eruditionis specimen?

Te quoties vidimus enim verò, cum validissimis adversariorum oppugnationibus impetere; cum difficillimæ divini juris Quæstiones proponerentur; cum intricata sacrorum Codicum oracula haberes explicanda; cum tuendam Conciliorum auctoritatem, conciliandam Patrum inter se pugnantium sententiam, Traditionem è tot Annalium veluti ruderibus eruendam susciperes? Quoties, inquam, te vidimus ac suspeximus tantè variâ, tam multiplici difficultatum mole circum-

U S

septum

septum quasi ludentis speciem exhibere? tantum cum facilitate & excelsæ mentis perspicaciâ dissolvebas nodos, ambages expediebas, resolvebas ænigmata, tenebras ipsas & obsitam jamdiu cæliginem ingenij tui splendore dissipabas!

Cur ergo veniendum tibi etiamnum ad minus, quasi dexteritatis ac solertiæ faciendum haberes periculum? An te novæ laudis cupidum putem, nec contentum satis primarum Laurearum gloriâ, nisi illustrius quoddam victoriæ decus adjicias? Esto; æmulare, per me licet, pugilum illorum nobilem audaciam, qui plurimum jam defuncti periculis ultrò descendebant in campum, veteres palmæ recentibus cumulaturi. Non detrectabo vel hac conditione certamen; tuo triumpho minimè reluctans aut invitus serviam ac si dispendio meo suppeditare tibi gloriæ materiem oporteat, senties me tecum armis imparibus paratum decertare.

A L I A.

Quam laudabile videri debet illud Majorum nostrorum institutum, qui tam varijs, tam frequentibus, tam assiduis Exercitationibus stimulamdam Candidatorum æmulationem cœperunt. Scilicet existimabant illi sapienter ac verè esse conditionem ingenij terræ persimilem. Ac, quemadmodum illa, quantumvis pinguis sit ac ferax ex se se, nihil præter spinas aut avenas steriles procreat, nisi diligenti culturâ exerceatur: ita largus ingenij fons arefcit continuo, vis ejusdem atque acies quantocyùs hebescit, nisi ad felicem ipsius naturam Exercitatio frequens accedat. Igitur

Igitur quàm sedulò incumbit in laborem avarus Agricola, quàm impigrè terram aratro vertit, quàm operosè illam versat omnem in partem, fructus ut ferat expectationi suæ pares; tam acriter, benignam ingenij venam quisquis nactus est, illam pertentabit, tam assiduè eandem extundet, tam gnaviter sollicitabit ac scrutabitur, si quid admiratione dignum elicere voluerit.

Quare miretur nemo, quòd tot homines ingeniosi immensis per tot annos laboribus se se macerent; quòd dies noctesque chartis impalescant, quòd consenscant in studijs, quòd quotidianæ dimicationis aleam non reformident. Norunt illi nimirum, quàm infructuosa & inutilis foret ad gloriam, quam ambiunt, ingenij sui ubertas ac copia, quam inertis segnique otio languescere paterentur.

Sed quid ista persequor operosius? Unum te appellabo testem huiusce rei locupleuissimum. N. Equidem miramur in te eximiam ingenij vim, perspicaciam singularem, acres imprimis igniculos, quibus ad capeffendas liberales artes feliciter comparatus videri possis. Sed age; an tibi sic placuisti in egregijs illis dotibus, quas accepisti à naturâ, ut labori parceres; ut vim insitam studio non promoveres; doctrinâ non excoleres; assiduis concertationibus non exerceres? Hoc tu si abrueris fateri, modestiæ plus æquo serviens; nos certè non possumus palàm non profiteri, qui suspeximus in te tam sæpe confertissimam eruditionis cujuscumque supellestem; quæ non tam ingenij, quàm laboris ipsius & exercitationis fructus est. Fruere geminâ illâ laude, quarum altera, si naturæ munus est, altera virtutis unius tuæ merces debet videri.

ALIA.

A L I A.

COgitanti mihi nonnunquam varios illos honorum gradus, per quos sapientissimi Majores nostri Theologiæ Candidatos ad supremum Doctoratûs apicem ascendere voluerunt, contigit admirari non abfimilem ordinis illius imaginem, quem auctor naturæ in ipsâ tempestatum varietate ac vicissitudine tam sapienter instituit.

Præit reliquis anni temporibus gratissima Veris amenitas; & admirabili florum pulchritudine, quos parturit, ad futuræ mox ubertatis lætissimam expectationem exsuscitat. Ita cæteros ad honorum titulos recludunt aditum prima Baccalaureatûs insignia; quibus Candidati, quotquot decorantur, suavissimis, quos explicant ingenij eruditionisque floribus, orituram postmodum copiosissimæ doctrinæ segetem prænunciant.

Veri succedit æstas, per quam ardentissimis solis caloribus natura tota incenditur, promouentur segetes, fructus maturescunt, terra suas opes ubique pandit & ambitiosius ostentat. Quid ad Theologiæ Licentiæ labores, qui Baccalaureatum subsequuntur, repræsentandos accommodatius est? quo tempore fervent imprimis disputationum æstus, acuuntur ingenia, mens eruditur, ditescit memoria, & magnificus per singulos dies maturæ jam ac perfectæ eruditionis apparatus, mirantibus sacræ Facultatis oculis atque animis exhibetur.

Æstatem Autumnus occupat, optatissima ante alias omnes anni tempestas, quæ strenui ac diligentis

gentis Agricolaë pensat labores, vota cumulat, gratissimis cujuscumque generis opibus præteritam egestatem gratulatur. Tam expectata nobis omnibus, post dura longissimi curriculi tædia, sacra Doctoratûs laurea contingit, quæ priores levat molestias, cupidum ingenuæ laudis animum exfatiat, conciliat ubique nomen ac famam, & ad quemlibet deinceps dignitatum apicem viam aperit.

Restat anni pars ultima, per quam partis licet frui vitæ bonis cum otio, quod nulla sævientis frigoris acerbitas perturbat. Sic reliquo vitæ tempore Laureæ suæ in umbrâ Theologiæ Doctor conquiescit, & quantumvis sæviant fata, suavissimum habet in suâ dignitate solatium pariter ac subsidium. Gratulare tibi, N. Quodcumque in hoc, quod decurrimus, stadio gravius occurrit, jam emensus es feliciter; una superest laboriosa contentionis merces ac compensatio, digna ingenio tuo, digna eruditione merces, quam adeptus brevî expertem ab omni sollicitudine plenamque nobili otio tranquillitatem experieris.

A L I A.

QUàm dissimile stadium illud est, quod decurrimus ab eo, quod ambitiosum hominum genus Olympicis in ludis ingrediebatur. N. Illi difficilis cursûs eâ conditione tentabant aleam, ut, cum plurimi certarent simul, unus ex omnibus periculosi certaminis præmium ferret. Nos, si longiorem fortè difficiliorémque campum subimus, saltem ea spes manet, de futuram nemini, quam ambimus omnes, assidui laboris

ris

ris mercedem. Illi felices inter cæteros & supra vulgus hominum elati sibi videbantur, si pulvere, quem in curriculo collegerant, conspersi redirent; Nos gloriosis antiquitatis totius tam sacrae quam profanae spolijs onusti revertimur. Illos una vis membrorum aut in declinando metæ offendiculo dexteritas victores efficiebat: Nos contentioni mentis & improbo labori victoriam debemus. Illorum quidem vertendum industriæ, quod fortunata decursionis palmam referrent; at partem laudis illius aliquam equorum velocitas atque exercitatio vindicabat: Nos instituti peractique feliciter curriculi gloriam nemini præterquam nobis ipsis gratulamur.

Quod si illi, quos spes incerta, merces fragilis invitabat, tam alacres, tam contemptores periculorum inveniebantur; quanto alacriores, & ad difficultatum obices superandos paratiores esse nos oportet, quos expectatio certa & immortalis Laureæ gloria incendit.

His ego te acuerem stimulis, N. nisi spectatum fecisses palàm tam sæpe, quàm nullis ad gloriam incitamentis egeas. Tua te virtus hortatur satis ac stimulat, nec opus est, ut currentem tam laudabiliter quisquam paret incendere. Perge porrò tam felicibus auspicijs; Tibi te uni ultro permittimus; neque dubitamus partem victoriæ decus tibi vel ante tempus gratulari, qui tam potentibus ad eandem reportandam præsidijs instructus videâre.



ALIA

A L I A.

Pro Socio Sorbonico.

Quam vastum, quam uberem, quam plenum
 refertumque bonarum rerum copiâ cam-
 pum nobis hic offers atque aperis! Agnosco
 laboris indefessi fructus, revereor, ut par est, exi-
 mium ingenij & singularis eruditionis specimen,
 majorem omni prædicatione nostrâ dicendi sege-
 rem fateor in hodiernâ concertatione fuisse nobis
 oblatam. Scilicet jam recludis & explicas ope-
 illas, quas assiduo tot annorum studio comparâsti.
 Invitas unumquemque ad spatiandum horto in
 amœnissimo, quem florum omnium varietate,
 fragrantia, pulchritudine distinxisti. Pateris etiam
 decerpere nos ad arbitrium fructus illos, quos
 seminâsti tam sedulè, irrigâsti tam prudenter, tam
 feliciter excoluisti. Felix illa tellus, quæ strenuos
 ad eò peritòsque cultores tulit, quæ alumnos suos
 tales ad artes informat; quæ vigilantiam, labo-
 rem, industriam incendit. Plaudat sibi domus
 hospita, cujus è gremio prodistam excultus ipse,
 & ad excolendos alios tam egregiè comparatus.
 At gratuletur sibi impensius Sorbonica familia,
 quæ te filium in suum ultrò suscepit, cui lætissi-
 mam quamque ab institutione bonâ spem affert;
 quam inclytâ virtutum omnium famâ, & parto-
 rerum bene gestarum decore, ingenio, pietate,
 doctrinâ cumulabis. Nos verò, qui te felici nostro
 fato commilitonem in eadem palæstrâ nacti sumus,
 beatos nimis ac fortunatos, si non admiratores
 tantùm rerum tuarum, sed imitatores etiam videa-
 mur.

ALIA.

A L I A.

*Pro Doctoratûs Candidato, eodémque
Religioso.*

Quoties ego oculos conjicio Theologos in viros, ex quibus Parisiensis Facultas constata est, toties intueri mihi videor terribilem illam Errorum monstris ordinatamque castrorum aciem, quam sacræ Litteræ describunt, aut fortissimam atque inexpugnabilem Turrim illam, ex quâ mille clypei dependent, omnis armatura fortium. Nam qui tandem illi sunt, nisi instructus adversum Religionis hostes exercitus, paratus semper decertare viriliter, & tutam ab omni impugnatione Ecclesiam præstare. At licet unus sit idémque omnibus animus, quanta inter illas militares Religionis copias, & quàm admirabilis varietas occurrit.

Neque verò Religiosi Ordines minùs utilem ab omni ævo laboranti Ecclesiæ navaverunt operam, aut suis hodièque laboribus levem sacræ illius Militiæ gloriam sibi vindicant. Nôstis pietatis studium cum eruditionis laude componere, & dum erudiendis rudibus, pravis erroribus dedocendis, revocandis ad antiquam fidem errantibus verbo pariter & opere incumbitis, facit vis precum & obsecrationum vestrarum apud præpotentem Deum, ne, quod suscipitis cumque, suo successu defraudetur, aut ulla pars laboris vestri cassâ & irrita sit. Plaudite vobis, generosi Christi Milites, contendite novas cumulare palmas, veteribus recentes triumphos adjicere. Tūque inprimis,

mis, qui tam saepe nostris in concertationibus
 eximium dedisti ingenij reconditionisque doctri-
 næ specimen, qui novum in decus, in novum Or-
 dinis tui lumen assurgis, quam suscitasti jam diu
 lætissimam expectationem tui, fac eandem ut su-
 stineas, aut, si fas, vincas etiam ac superes.

A L I A.

Q Uod olim difficillimis Ecclesiæ temporibus
 facere solebant Religiosæ vitæ cultores, ut
 è solitudinibus suis ac speluncis prodirent
 palam laboranti Religioni opem laturi; id ipsum
 vos quanto totius Ecclesiæ commodo facitis ho-
 diæque, quos nobilis quædam divinæ gloriæ æmu-
 latio ex ipso quietis & tranquillitatis sinu ad ju-
 vandos labores nostros adducit! Ac licet singu-
 lari Dei omnipotentis beneficio non desint in
 Clero Gallicano insignes pietate ac doctrinâ viri,
 qui sterilem vineam Domini minimè patian-
 tur; tamen tam gratum est, quam quod gratissi-
 mum, quod nobis ultrò volentesque ministe-
 rium impenditis. Neque verò nos piget habere
 socios nostrorum laborum tot insignes sagaciore
 ingenio, eruditionis laude, pietatis gloriâ viros,
 quibus nihil est antiquius, quam ut suum in Ec-
 clesiam studium palam approbent, & strenuos se
 ejusdem defensores ac vindices quocumque re-
 rum suarum discrimine exhibeant. Quòd si,
 Scripturâ teste, frater qui adjuvatur à fratre, quasi
 civitas firma reputatur, quam formidandam er-
 rorum monstris societatem illam esse oportet,
 quæ conjunctissimos tot fratres ostentat eodem
 divinæ gloriæ studio succensos? Adeste nobis

X

igitur

igitur totis animis. Ecce tot regiones albæ jam ad messem, quæ vestram opem desiderant. Venite lætis agminibus omnes tibi persimiles, omnes ab iisdem instructi pietatis ac doctrinæ præsidijs, quæ suspicimus in te, quæ tibi impensè gratulamur.

A L I A.

Est hæc multorum querela, qui in eo verfantur studio, quod tu tam feliciter decurras, tam esse concertationum multitudinem et varietatem, quibus interesse Theologicæ Laureæ Candidatum, & ingenij pariter ac doctrinæ æquum dare specimen necesse est; ut vix sibi sufficit ab eâ negotiorum mole fati otij, quod proprijs studijs impendant. Quod si tam speciosa exoptulationi videtur esse locus aliquis, uti vera est, quid par est sentire de vobis, quos Religiosæ disciplinæ ineluctabilis quædam distractio à continuis studiorum laboribus multò magis vertit, & mentem divisam inter multa & intentum pluribus, vel invitam ac reluctantem dissipat. Nam quid ego memorem diurnas nocturnasque preces, quid referam psallendi in choro assiduitatem, quid varias domestici instituti occupationes, quid indefessam opitulandi Proximo sollicitudinem, quid impositum multis disseminandi Verbi divini munus recenseam?

Tamen quis non miretur tam diversa inæxultos Litteris omnibus, tam comparatos versus contentiosæ scholæ difficultates, tam scilicet peritos in interpretandis scripturæ

eorum Patrum operibus, quàm si destituti importunâ cæterarum rerum solitudine, in unos Theologicæ Licentiæ labores haberent incumbendum?

An non par est credere, quod de se Doctor Angelicus profitebatur, eos majorem eruditionis suppellectilem ex ipsâ Crucifixi contemplatione, quàm ex ipsis librorum fontibus comparâsse. Quod cum de multis Religiosarum familiarum incolis, qui certaturi nobiscum in hanc Theologicâ stadij arenam descendunt, pronunciare licet, tum de te inprimis, qui tantum doctrinæ apparatus cum tantâ pietatis laude confocias.

PRÆFATIONES

Ad auspicandum Magistratum.

ET si tacita quædam rerum magnarum æmulatione, & ipsa, quæ me circumstant, exemplum domestica jam pridem adhortantur, ut amplissimam hujus Ordinis plenamque auctoritate summâ dignitatem consecrarem, Princeps Senatus Illustrissime, Illustrissimi Præsides, Senatores amplissimi, tamen hoc aditu laudis, quem tot præstantissimis viris patuisse video, non modò me par nondum ætas tanto muneri, sed multò magis rei ipsius, quam ambirem, amplitudo prohibebant.

Alterum quidem difficultatis caput sublatum jam videor mihi posse gratulari; quandoquidem Regis optimi singularis indulgentia præscriptæ Legibus ætati sic derogandum putavit, ut jus etiam suffragij præter ipem ac meritum concederet.

X •

deret.

deret. Verùm sentio nihildum penè confectum esse, qui gravissimum, qui mihi refringendus superest, obicem jure merito pertimescam.

Quantâ enimverò maturitate ingenij eum oportet esse præditum, qui sedere non dubitet inter clarissimos Magistratus, quos non tam contracta in foro canities, quàm plena majestate gravitas & consummata quædam prudentia verendos exhibet? Quanto rerum Forensium usu exercitatus ac contritus debet accedere ad dicendam de capite fortunisque hominum sententiam, quantum & ipsi, qui eximiâ florent Judiciorum scientiâ, non sine aliquâ trepidatione pronunciant? Quanta denique firmitas mentis animique constantia in eo requiritur, qui nec illudi se blandientium illecebris, nec dominantium auctoritate perterriti patiatur.

Hæc certè meditati mihi diligentius non levem hodiè que moram afferant, Illustrissimi Præfides, Senatores clarissimi, nisi me vestra sustentata humanitas, & certum difficillimis in rebus prædium polliceatur. Quid enim metuendum habeam, sapientissimos pariter peritissimosque magistratos nactus, quorum sub disciplinâ errare non possim; qui, si quid erit ambiguum, resolvent; si quid obscurum, diluent; si quid intricatum, expeditent atque explicabunt. Jam verò quantum facultatis accedet; si mihi conicere oculos idem talem liceat in augustissimum hujus Senatûs caput ac Principem, quem non tam illustris avorum gloria per continuam tot annorum seriem propagata, quàm inusitata quædam juris Forique scientiâ incorrupta æquitas & mancipata jam dudum ipsi genti pietas in Deum, in Regem fides, in populum amor commendant.

Hac ego fretus expectatione I. S. P. Illustrissimi Præsides, Clarissimi Senatores minùs verear flagitare, ut in hoc sanctissimo Themidis sacrario confidere vobiscum liceat. Quod si pro vestrà singulari humanitate concesseritis, sic conabor præclarissima illa, quæ passim editis, probitatis, vigilantia & æquitatis exempla consecrari, ut vestro iudicio atque calculo non omnino indignus videar extitisse.

A L I A.

EX quo singularis Regis optimi indulgentia & vestra omnium humanitas fecêre, Illustrissime Senatûs Princeps, Præsides Illustrissimi, Clarissimi Senatores, ut ante præscriptam Legibus ætatem liceret mihi amplissimi hujus Ordinis auctoritatem contingere; intellexi pervidendum mihi primùm, quid postularer à me munus illud, quod ambirem, & gnarus deinde imponendi mox oneris ad sustinendum illud viriliter incumbendum putavi.

Verùm id ipsam quod volebam nôsse, quando penitiùs vidi, tantò sensi magis adspirâsse me fortè altiùs, quàm par esset, & tenuitatis meæ conscius, ambitiosi præter modum voti me metantùm non inculavi. Quibus enim præsidij didici instructum eum esse oportere, qui recenseri velit clarissimos tot inter viros, quibus ingenij laus, eruditionis fama, longus rerum Forensium usus, æquitatis amor & spectata probitas verendum toti Gallia nomen conciliârunt. Quàm perspicacem naturâ, solertem mente eum esse oportet, quàm multâ experientiâ exercitatum, qui implicatam tricis

X ;

atque

atque involucris veritatem adeat & eandem simulationum larvis obductam possit internoscere. Ut non leviter Litteris & doctrinâ tinctus esse debeat ille, qui populorum mores varios, consuetudines regionum, Veterum instituta, Leges, Edicta, totius antiquitatis seriem animo complectendam habeat, & ortas singulis de rebus contentiones dimendas suscipiat! Ut rigidus æqui defensor, & fides constantique Innocentiæ patronus, quem nec utilitatis propriæ ratio moveat, nec perturbet metus, nec gratia demulceat aut inclinet.

Tamen etsi hæc timorem afferunt non leviter non deterrent tamen juvenilem animum, aut cupidum rerum bonarum consensescere patiuntur. Imò sensi, ut fatear, quod res est, novos hinc mihi admoveri stimulos, unde invalescere metus debuisse; & quanto præstantior visa est, que circumfulget vos gloria, tanto succendit ambitionem acrius, & ad æmulandum, quod magnam est, provocavit. Vestrum erit ignoscere Ill. Sen. P. Illustriss. Præs. Clar. Senatores, si quid audeat videar, præterquam quod aut ætas ferat, aut temeritas nostra patiatur.

At informantem animo & præcipientem vobis omnibus aliquam perfecti Magistratus imaginem, non licuit illius adipiscendæ spem fore certam, nisi affiderem illis propius, qui abscissum ejusdem exemplar singuli subjicerent. Vestrorum labor ego quotidie, dicebam mihi metipse tacitus, tot inter Fori lumina, neque non pars aliquæ lucis illius inexhaustæ ad nos pertinebit, quæ quod erit caliginosum cumque excutiet. Adversus sedulus comes præstantissimis Ducibus, & eorum vestigijs insistens per intricatas Legum ac Litterarum ambages inoffenso pede decurram. Respicere etiam licebit in ipsum augustissimi Senatûs Principem

cipem & ab illius ore pendere, unde tot Effata,
tot Themidis oracula prodeunt.

Hac ego fretus expectatione multò magis,
quàm ullâ sagacitate mentis aut industria, aggre-
diar, &c.

A L I A.

Quod ambieram votis omnibus, & quod tenui-
tatis meæ conscius vix audebam mihi polli-
ceri S. P. I. Præsidi. Ill. &c. id hodie non
sperare modò posse videor, sed etiam singulari
humanitatis vestræ beneficio propè concessum
gratulari. Tamen cogitanti mihi, quanti sit in hoc
verendo Themidis sacrario, tot inter clarissimos
Magistratus locum occupare, impensus à vobis
favor neque metum abtulit omnem, neque solici-
tudinem exemit. Nam cum conjicerem oculos
in unumquemque vestrum, quos spectata probi-
tatis fama, Religionis studium, æquitatis com-
mendatio, rerum forensium experientia huic urbi
regiæ tam spectabiles, totique Regno tam verendos
effecit, sensi quantis instructum præsidij o-
pporteat eum esse, qui venire vobiscum in tanti
muneris societatem confidat. Ac licet nullis ego
laboribus, nec innatæ, si qua est, solertiæ parci-
tum hætenus voluerim, ut imponendi mox one-
ris molem quoquomodo sustinerem, sentio nihi-
lo feciùs, quàm temerè ad tantum honoris fasti-
gium adspirarem, nisi ex assiduo vobiscum usu
certa potentissimi ad rem bene gerendam præsidij
spes affulgeret.

Scilicet vestra me omnium exempla rudem
adhuc inexpertumque rerum magnarum erudient,

X 4

&

& quotidianum perfecti absolutique Magistratus specimen ostentabunt. Felicem me fortunatumque S. P. I. Ill. Præsid. Senat. Clariss. si ponere in lucro possim tot momenta, tot incitamenta virtutum; si vestram in defungendo munere prudentiam, assiduitatem, diligentiam, integritatem possim æmulari!

Verùm ad istas, quæ mihi cum cæteris communes sunt, partes obeundas accedit aliud officij genus, quod mihi singulatim incumbit, cui exsolvendo par an futurus unquam ego sim, non ausim mihi polliceri. Intellego perenne quoddam grati ac memoris animi monumentum, quod à me pro jure suo postulat singularis illa humanitas ac benevolentia, qua parentem amantissimum per tot annos devinxistis. Conscius hic quidem quantum debeat vobis omnibus, & brevior ratus esse vitæ suæ terminos, quàm ut referre gratiam pro dignitate possit, voluit beneficij vestri memoriam in filio propagari, neque me tam paterni muneris, quàm sui erga vos studij atque observantiæ hæredem accedere. Hanc ego patris optimi voluntatem tueri sic conabor, ut à patris moribus nihil degenerem filium approbentis. Aggrediar itaque, &c.

A L I A.

*Pro Candidato Magistratus Militiam
valem diu Professo.*

Innumeris per tot annos Pelagi circumactis erroribus, & varijs defunctum periculis tandem aura benignior tranquillum optatae salutis hujus

hujus in portum me revexit, Illustrissime Senatûs Princeps, Præsid. Illustriss. Clarissimi Senatores. Quanquam nec ardor ille commendandi nominis, tumultuosi Martis laboribus sic animum incendit unquam, ut inositum penitus & ipso parentum sanguine propagatum placidæ Themidis studium restinxerit. Imò vel inter ipsas furentis maris procellas, inter gravissima bellorum discrimina sensi crescere magis ac magis, atque in dies promoveri amorem illius tranquillitatis, quâ confessus vester augustissimus perfruitur, quam & pro virili parte cæteris omnibus impertit.

Atque ut nihil ego dissimulem cogitationum mearum coram tot viris illustrissimis, quos reveritus sum semper, ut par erat, quos rerum mearum moderatores ac magistros deinceps sum habiturus; duxi faciendum mihi periculum Navilibus in castris, qualem esse me Forensibus in negotijs deceret. Dum appensum lateri gestabam enses, aut eundem in hostes distringebam, non amore cædis aut sanguinis, sed defendendæ patriæ studio, dicebam, Gladium illum, quem Justitia portat, non ad hominum perniciem, sed ad tuendam legum æquitatem vobis fuisse permissum. Dum contra ventos ac procellas & tumentes irati maris fluctus luctandum foret; sentiebam labore non minùs improbo adversùs civilium negotiorum difficultatem opus esse. Si quæ inter navigandum vitandæ prudenter fyrtes, si quis declinandus scopulus occurreret; memineram, quanta in excutiendis causarum tricis solertia, quanta in pervidendis fraudum ambagibus perspicacia requiretur. Denique quoties aut sustinendum viriliter hostis impetum, aut eundem laceffendum habemus; intelligebam virum Judicem, nullo unquam metu nullâ vi auctoritatis ac gratiæ infringi oportere.

tere. Vestrum erit, Viri Illustrissimi, existimare, qualem ex rudiore illâ disciplinâ fructum perceperim. Quòd si vestrum ad Tribunal accedenti refigenda nihilominus multa, perdiscenda mihi multò plura censebitis; accipite me, pro vos atque obtestor, vestram in disciplinam, tanto docilis animi obsequio erudiendum, quantum olim Tyro Junior præposito Navis Præfecto deferebam.

Quod cùm ab humanitate uniuscujusque vestrum polliceri mihi posse videor, tum certè sperare non dubitem eandem ab Illustrissimo Senatùs Principe gratiam, quem nihilo minùs reverendum semper arbitror, quàm ipsum rei Maritimæ Imperatorem non ita pridem reverebam. Illius singularem in dirimendis litibus solertiam, summam in resolvendis Legum ambagibus dexteritatem, parem in promovendis tuendisque populorum commodis alacritatem, vigilantiam, dignam inclyto nomine ac sanguine gravitatem nec admirari desinam, nec, quantum tenuitatis meæ ratio patietur, venerari.

A L I A.

Quæ confidentiam afferre solent Candidati loci hujus auctoritatem contingentibus, Magni Auspices ac Patroni, arctissima cum amplissimis Magistratibus affinitas atque cognatio, Nomen pro vestrà humanitate amicum vobis semper & acceptum; ea me, ut fatear, quod res est, mirum in modum angunt ac non mediocriter perturbant, Præsides Illustrissimi, Clarissimi Senatores. Sentio enim unus omnium optimè, quan-
cum

tum mihi ferendum onus incumbat, qui circumseptus tot illustribus ac penè domesticis exemplis non modò alienum quidquam ab eà laude committere verear, sed propensissimæ vestræ erga me benevolentia, aut etiã honorificæ cuipiam expectationi debeam respondere.

Equidem nec mihi unquam defuit æmulatio nobilis ad gloriam, nec voluntas ad perfringendos obices quoscumque bene præparata. At cogitanti mihi seriò ac maturè perpendenti, quas in eo doctes ac virtutes esse oporteat, qui venire præsumat in societatem vestræ dignitatis, qui sedere non dubitet cum verendis Magistratibus, quos longa rerum Forensium experientia, sublimioris ingenij vis ac sagacitas, spectata jam diu operosissimis causarum in controversiis prudentia nobilitant, visum est semper arduum quid & summâ cum difficultate conjunctum. Quem enim par est habere me sensum tenuitatis meæ, qui nihil in me præter cupidum rei bene gerendæ & patientem disciplinæ animum deprehendam; qui præscriptum Legibus vestris tempus prævertere pertentem; qui rudi & inexpertâ manu formidabilem tractare Themidis Bilancem confidam? Næ me ambitiosi præter modum voti tantùm non pœniteat, nisi me singularis Regis optimi gratia, & vestra imprimis omnium indulgentia confirmarent nutantem, & novam ad bene sperandum fiduciam afferrent.

Sinite igitur, Illustrissimi Præsides, Senatores Clarissimi, ut dulcissimo recreatus illo patrocinio, quo me tutari vobis placuit in præsentia, quo meos fovere tot abhinc annis non destitistis, ad subeundam hodierni discriminis aleam paulò confidentiùs accedam.

Tu

Tu verò Præses Illustrissime, qui vices illius geris, cujus præsidium ac clientelam potissimum ambissem, qui tam bonus in suos, tam comis in omnes videri solet, non abnuēs, uti spero, nobis impertiri partem aliquam illius humanitatis, quam omnibus affatim impendis.

Hac ego spe fretus, Illustrissimi Præsides, Senatores Clarissimi, aggrediar, &c.

A L I A.

Quæ junioribus Candidatis ad vestræ dignitatis communionem aspirantibus incutere metum solent, verenda Senatûs augusti majestas, frequentissima clarissimorum Magistratum corona, gravissimum operosæ inprimis, quam subeundam habent, aleæ discrimen, S. P. I. &c. ea me non modò non conturbant hodie studiosum ejusdem gratiæ petitorum, sed etiam lætissimâ quadam expectatione recreant ac consolantur. Quanquam absit, ut confidens Ego præter cæteros, aut tenuitatis meæ, quam profiteri non dubitem, oblitus videar. Scio unum omnium optimè, quanti sit hujus loci contingere auctoritatem, unde hominum fortunæ ac fata dependent: non ignoro, quibus eum cum ab ingenii, tum ab animi dotibus comparatum esse oporteat, qui in ferendis judicijs assidere confidat probatis tot Magistratibus, quos eruditionis præstantia, longissimus rerum Forensium usus, singularis amor æquitatis & spectatissima gravissimis in controversiis animi firmitas atque constantia commendant. Scio, quantum incumbat oneris ambitioso quantumvis petitori, qui præsertim ante præ-

præscriptam vestris legibus ætatem virium suarum facturus periculum vobis spectantibus descendat. Tamen hæc ipsa plus fiduciæ quàm timoris, plus roboris atque alacritatis, quàm diffidentiae aut torporis inspirant. Nam quid aliud religiosum istud Themidis sacrarium insinuare deceat, præter legum reverentiam & studium æquitatis, quorum semina bene natis animis natura ipsa liberaliter insevit. Quos par est afferre sensus juniori Candidato clarissimorum tot Magistratum præsentiam, nisi ut imitanda sibi putet præclarissima, quibus illi præfulgent, laboris, vigilantiae, assiduitatis, probitatis exempla? Quid suavissimi ipsorum mores spirant, præter humanitatem atque indulgentiam, quâ rudes atque imperitos bonarum Artium adsciscunt ultrò dignitatis suæ in consortium, ut eosdem suis ipsi præceptis informet, & ad magnâ quæque æmulandâ adhortentur?

His ego, & tuo imprimis præsidio fretus, Senatûs Princeps Illustrissime, quod polliceri mihi non verear, Aggrediar, &c.

A L I A.

Pro Clerico Magistratum Clericalem ambiente.

Non inanem magni nominis umbram affectat, quisquis vestræ dignitatis æmulator amplissimum in hunc Ordinem ambit aggregari, Senatûs Princeps Illustrissime, Illustrissimi Præsides, Senatores Clarissimi. Quanti enim est Re-
gia

giæ Majestatis vindices, tutores Legum, Populorum Judices atque Arbitros appellari! Neque verò vobis minùs honorificum videri debet, quòd Ecclesia sua auctoritati vestræ jura credidit, & suum in hoc æquitatis domicilio præsidium ac decus collocatum sibi gratulatur.

Hinc illa Senatum inter ac Sacerdotium necessitudo singularis, ut eos, qui sacræ militiæ nomen dedere, societatis atque consiliorum in partem admittere non vos pigeat, & præstantissimos inter Magistratus adscribendos ultrò ac volentes censueritis.

Hac ego fiduciâ fretus multò magis, quàm ullis ad tuendam tanti muneris amplitudinem instructus præsidij descendo petitor in arenam, & mihi etiam atque etiam precor impertiri partem aliquam illius bonitatis atque benevolentie, quâ studiosissimum quemque Magistratûs Candidatum fovere consuevistis.

Tu mihi patrociniûm tuum pro humanitate tuâ non abnues, Senat. P. Ill. neque suffragari judicio tuo dubitabunt tot Clarissimi Senatores, qui te colunt omnes & amant; adeò splendore virtutum tuarum, & mitissimi ingenij comitate singulorum animos devinxisti. Tu mihi, inquam, patrociniûm tuum non abnues, qui, ut adirem hujus discriminis aleam, hortator non semel adfuisti, & me viribus meis, ut par est, diffidentem de tuâ etiam humanitate bene sperare jussisti. Quare, &c.

—S (O) S—

ALIA:

A L I A.

*Pro Filio , cujus in gratiam Pater
Magistratum abdicat.*

Quàm multis ego devinctus nominibus vestrum ad Tribunal accedo gratum ac memorem animum testaturus, Senat. P. Ill. Illustrissimi Præsides, Senat. Clar. Debeo singulares optimo Regi gratias, qui Magistratûs auspicandi facultatem indulfit. Non me filere patitur vestra in parentem meum constans per tot annos benignitas atque benevolentia, cujus partem in me aliquam sentio pro vestra humanitate derivari. Ipsa parentis amantissimi charitas, qui me vocat in difficilem pariter & honorificam provinciam, postulat gratissimam in filio voluntatem.

Quid me facere par est, ut in hodiernâ contentione vestro dignus calculo videri possim? Utinam equidem deprehenderem in me aliqua virtutum illarum semina, quarum felix comitatus clarissimos, quotquot hîc adsunt, Viros circumstat, quos plena majestate gravitas, consummata prudentia, laus probitatis, æquitatis fama commendant. Verùm dotes illas ac virtutes cum vindicare mihi non liceat, felicem me saltem ac fortunatum, si strenuo ac diligenti obsequio sinceram optimo Principi fidem, si devotissimo in unumquemque vestrum studio, meam amplissimo huic Ordini observantiam approbare possim! Si quam impendistis parenti amantissimo benevolentiam, hanc omni officio promeruisse videar! Conscius ille quidem quàm sit impar unus referendæ vobis.

bis.

bis, ut par est, gratiæ, filium in partem memoris animi putavit adsciscendum, neque tam in eo paternam provinciam, quàm suam erga vos voluntatem esse propagandam. Quem ego facere votorum compotem, quàm cupidè ambiam, patere etiam atque etiam precor, Sen. P. Ill. interpellari te à me vadem atque obsidem, apud quem ipsum fidei sacramentum dicturus sum.

A L I A,

ET si votorum meorum benignitate vestra compos factus habeo plurimum, unde mihi grauler S. P. Ill. &c. tamen incipio subvereri, ne fortè videar altiùs adspirasse, quàm decebat, aut certè præfinitum adeundis Magistratibus honoribus tempus festinatione præposterà antevertisse. Etenim dum contemplor attentius augustam Senatûs amplissimi majestatem, & oculos circumfero ad illa subsellia tot verendis referat Magistratibus, sentio quanti sit auctoritatem hujus loci contingere, & spectatissimos inter virtutum omnium laude viros recenseri.

Nam quid ad commendationem vestri Ordinis tam altum prædicari possit, quod ejusdem dignitate inferius videri non debeat? Agite; quam meretur apud omnes admirationem primum illud Galliarum Tribunal, hæc Princeps maximæ Regni Curia, hic confessus primariæ nobilitatis, quo judice atque arbitro gravissimæ cujuscumque generis controversiæ deciduntur; in quem adscribi votis omnibus ambiunt, quotquot Duces creantur à Regibus, tam plenâ dignitatis appellatione,

latione, hoc honoris apice non contenti, donec in vestrum numerum aggregentur, & permixti vobiscum iisdem in subsellijs consideant? Quam obtinet apud universas Imperij nostri provincias laudem ac famam hic Senatus cæterorum veluti parens, à quo videlicet omnes prognati, cujus in subsidium crescente regno & negotiorum multitudine varijs deinde temporibus sunt à Regibus nostris instituti.

Sed an brevibus Regni Gallici finibus circumscribitur Ordinis vestri reverentia? Quò enim habetur in pretio ab exteris gentibus, quæ sedem hanc tam sæpe contentionum suarum iudicem atque arbitram elegerunt? Quoties vestrum ad Tribunal clarissimi totius Europæ Principes, Reges, Imperatores appellavêre, ut ex ore vestro sua veluti fata in causâ fortunarum, interdum & capitis expectarent.

Erit igitur aliquis tam conscius ingenitæ virtutis, tam felicibus vel à naturâ, vel ab educatione instructus præsidijs, qui sibi pertimescendum non putet participem fieri vestræ dignitatis, & ad tantum honoris fastigium assurgere? Neque enim vacuum & inane nomen geritis, neque aut Togâ, aut Purpurâ, aut reliquis Magistratûs prærogativis atque insignibus vestri muneris amplitudo continetur. Alijs gradibus pervenistis ad eam gloriæ famam, quam suspicit universus orbis ac reveretur. Vobis sagacissimi ingenij sublimitas, prudentia singularis, Juris utriusque, Legum, Consuetudinum, totius Antiquitatis explorata cognitio, longus rerum Forensium usus, spectata difficillimis in controversiis dexteritas, assiduus labor, probitas, fides, æquitas tantam ubique nominis commendationem peperere.

X

Me

Me verò, P. I. quem sua tenuitas incusat, & ætas, cui pro vestrà humanitate derogandum cœsuis, tanto oneri sustinendo parem nondum effecit, penè pigeat vestram ambijsse gratiam, mihi me tacita laudis æmulatio, cupida præter modum rei bene gerendæ voluntas, & vestra impemis indulgentia recrearent. Vestrum erit P. I. C. S. rudem & inexpertum Tyronem consilij experientiâ, exemplis erudire; meum verò docilem culturæ ac disciplinæ patientem, quod unum in me recipio, animum asferre.

A L I A.

EXimium illud & singulare prorsus vestræ nostram ætatem humanitatis ac benevolentia argumentum est, pro quâ immortales debemus vobis omnibus, & referimus, ut patet, gratias S. P. Ill. Præsides Illustrissimi, Amplissimi Senatores; quòd junioribus nobis facilius vestros honores patere aditum volueritis. Tamen dicam ego confidentius, neque vereor, ne quod vestrum mihi succenseat, aut levioze poni à meo loco beneficij magnitudinem arbitretur, dignum hoc fuisse sagaciore prudentiâ consilium; ne quidquam à vobis aut dignitati vestre conveniat, aut informandæ gravissimis rebus Juventutis aut publicæ etiam rei salubrius constitutum videri, quàm quòd vestræ auctoritatis in consilium nos ante tempus Legibus præscriptum mitti placnerit.

Quid enim prudentissimos viros & rerum Forensium scientiâ, usu atque exercitatione speciosissimos magis deceat, quàm habere comites ac

ac socios cupidos bonarum Artium æmulatores, qui quotidiana eruditionis veræ documenta excipiant, qui gravissimorum Magistratum ab ore pendeant Auditores attenti ac seduli, qui arcana Themidis Oracula suspiciant & admirentur? Quid osores otij & patientes laboris Magistratus delectet impensius ac consoletur, quàm si propensam plus æquo ad cessandum juventutis indolem patientiâ suâ atque assiduitate sic traducant ad meliora, ut in operosâ negotiorum mole se amet, & laudabilem Fori exercitationem desidiosius mollioris vitæ illecebris faciliè anteponat.

Nobis verò, quibus hoc gratificari per vestram humanitatem non piget, ut in consortium vestræ dignitatis maturâ nondum ætate veniamus, quanta necessitas incumbit, ut quantocyùs Forensis militiæ leges, instituta, disciplinam imbibamus. Quod aiunt vulgò, magnum esse quid à teneris assuescere, quos, amabo, respiciat æquius generatim & universè dictum illud, quàm eos, quibus in laborioso litium ac controversiarum curriculo vita traducenda est; qui nisi recentibus adhuc à studio Litterarum animis prima contentiosæ inprimis operæ rudimenta vestris sub oculis didicerimus, vix ac ne vix quidem defugimus periculum, ne fastidio ac satietate languescat animus, nec perinde ac debet, laudis ac gloriæ stimulis urgeatur. Nihil est porrò, quod nobilem illam gloriæ æmulationem vehementius acuat, quàm tot clarissimorum Magistratum in numerum ac societatem cooptari, quorum suffragio si quid dicere, si quid facere dignum contigerit, is votorum ac gaudiorum cumulus accedat.

Agitur & magna publicæ rei utilitas, ut inter verendos canitie suâ & longo usu contritos Magistratus, juniores etiam Candidatos agnoscat.

Y 2

Quar-

Quantam enim toti Galliæ expectationem movent illi, quos optimis moribus atque institutis adulescere sentiat! Quàm lætâ surgit populis sibi gratulandi seges, qui non defuturos unquam sibi polliceantur, quos in angustijs suis, in orbitate, in periculis studiosos rerum suarum defensores ac vindices prævideant; qui novis quotidie incrementis spectabilem toti orbi augusti Senatûs existimationem ac famam increbrescere intelligant.

Quare si nobis pro vestrâ indulgentiâ egregiè consultum voluistis, qui nostram ætatem vestrâ in subsellia admiseritis, vestræ etiam gloriæ, partecite, si dico, communitibus populorum commodis etiam consuluistis. Meum erit in obeundo Magistratu ita personam tueri meam, nihil ut penitendum dixisse videri possim.

A L I A.

Ad petendam Regij Oratoris dignitatem comparata.

Tanta est Oratoris Regij dignitas, tam honorifica appellatio, amplitudo tam singularis Præses Illustrissime, Clarissimi Senatores, lucis suæ splendore facillè perstringat juniora præsertim oculos, & tacitum illius ambiendæ desiderium inspiret. Tamen an licebit mihi pro humanitate vestrâ confidentiùs profiteri, quod sentio, & intimos cordis mei recessus coram sapientissimis viris aperire?

Ego sic existimavi semper Oratoris Regij munus, cujus me Candidatum esse permittit præ-

prætendere quidpiam aliud, quod titillet magis animos, & ingenitam rei bene gerendæ amulationem acrius incendat: speciosam dico, quam offert illustrandi tempus in omne nominis, & colligendæ non vulgaris gloriæ segetem. Quid enim tam admirabile, quàm in amplissimo gravissimorum Senatorum confessu exurgere unam aliquem, qui id, quod omnibus sentiendum, solus prævertere ac eloqui confidat? quid tam jucundum auditu, quàm sapientibus sententijs gravibusque verbis ornata Oratio ac perpolita? Quid tam magnificentum, quàm judicum religiones, Senatûs gravitatem unius Oratione ad suam sententiam converti? quid Oratori ipsi tam optabile, quàm ut & sibi ipse honori, & amicis utilitati & Reipublicæ emolumento esse possit?

Verùm quantò illustrior ejusmodi provincia esse solet, tantò periculosior videri debet illi, qui ejusdem petitor ambitiosus accedat. Est aliquis enimverò, ita securus sui, ita propriæ tenuitatis oblitus, ut metuendæ plenum opus alexæ vel adire sine metu, vel desungi cum gloriâ se posse præsumat? Neque enim passim obvium est in eo stadio tam feliciter decurrere, in quo incerta plerumque ac lubrica, referta salebris ac sentibus, ambagibus implicata via se offert.

Mihi certè, cui nec defuit unquam æmulationis nobilis ad laudem, nec voluntas ad perfringendos obices quoscumque comparata, cogitanti seridè ac maturè perpendenti, quâs in eo dotes esse oporteat, qui Regij Oratoris partes implere non ignobiliter velit, visum est arduum quiddam & summâ cum difficultate conjunctum. Age enim, quàm vivida vis ingenij, quàm copiosa, quàm exulta dicendi facultas, quàm eximia utriusque juris scientia, quàm explicata municipa-

sum externarumque Legum notio, quam familiaris Regiarum Constitutionum usus requiritur. Ad hæc quanta mentis acies in expediendis tricarum nodis, in resolvendis ambagibus perspicacia, in retegendis simulationum involucris iudicij maturitas, in dirimendis litigantium contentionebus laus æquitatis accedat necesse est.

Hæc porrò gerendi cum laude tam operosi Magistratûs adjumenta quoniam gratulari mihi non ausim, qui nec felicibus satis natus auspicijs, nec longâ propter ætatem rerum experientiâ videri possum instructus, non contingerem hodiæ loci hujus auctoritatem verendi muneris cupidus præter modum petitor, nisi vestra dissidentem, ut par est, viribus proprijs benevolentia sustentaret.

Verùm quoniam visum est vobis laboris et solertiæ nostræ, si qua est, facere periculum, ita me geram, Præses Illustrissime, Clarissimi Senatores, ut Antecessoris mei, qui partes suas implevit multâ cum laude, & Collegarum meorum, quantum erit in me, vestigijs insistam.

F I N I S.





I N D E X

Causarum Forensium.

- C**Ateros inter Galliāe populos quis ferre primas dicendus sit? Causa I. Fol. 1.
- Horatius Sororicida. Causa II. 24.
- Filij Luc. Junij Bruti Consulis ab ipso Patre morte damnati. Causa III. 40.
- Polycrates, seu Amoris paterni in liberis triumphus. Causa IV. 59.
- Iphicrates & Acoetes. Causa V. 81.
- Herodes Filiorum apud Augustum Cæsarem accusator. Causa VI. 104.
- Nemo sorte suâ contentus. Causa VII. 123.
- Utra præferenda sit statura Magna, an Parva? Causa VIII. 145.

Y 4

IN-



INDEX

Epistolarum.

| | |
|--|-----------|
| R hetor Initiatus Rhetori Candidato post ferias Autumnales rusticanti. | Fol. 163. |
| Responsio. | 164. |
| Rhetor Idem Amico Reduci. | 165. |
| Mater ad Magistrum filioli, cum Puerum tardius ad Litterarium Ludum remitte- ret. | 166. |
| Lentulus Fabio, cum invitatus ad cœnam non venisset. | 167. |
| M. Tullius Cicero T. A. Miloni Massiliæ exulanti, cum scriptam, quam pro eo dixerat, Orationem mitteret. | 168. |
| Milonis Responsio. | 169. |
| Hispanus Barcinonensi Gubernatori de ineptis, qui Lutetiæ spargebantur, ru- moribus de deditioe urbis, cum illa acriter defenderetur. | 170. |
| Responsio. | 171. |
| Marcellus Lentulo, ut Lepidum Magistra- tus Candidatum adjuvet. | 173. |
| Amico præmaturum filij sui funus dolens. | 174. |
| Ad | |

Epistolarum.

- Ad amicum: raram esse apud homines
sinceritatem. 175.
Adolescens ad Patrem, cum iussus scribere
de studiorum progressu nihil haberet
boni, quod scriberet. 176.
Idem eidem, cum primas inter suos tene-
ret. 177.
Fabius amissâ ludo pecuniâ, ad hominem
avarum, qui se amicum jactabat, ut mu-
tuam præstet. 179.
Responsio. 180.
Aristo pro recuperata valetudine. 181.
Amico Poëtæ, ut susceptum narrandi res
à Gallis præclare gestas consilium exe-
quatur. 183.
Alexander Arimazi Petræ Gubernatori de
urbe dedenda. 184.
Arimazis responsio. 185.
Amico expectata jam diu prole recens
aucto. 186.
Amico suo ob missum recens editum ab
eo opusculum. 187.
Uxor Thomæ Mori ad conjugem pro Re-
ligione Catholica in carcere detentum,
& pro eadem subeundæ morti prox-
imum. 188.
Marcellus Lentulo adversis rebus labo-
ranti. 189.
Filius Adolescens Patri, ut personam agere
in Theatro sibi liceat. 190.

Y 5

Re-

Index

| | |
|---|------|
| Responsio Patris. | 191. |
| Filius Parenti, ut emunctæ crumena ja- cturam resarciat. | 193. |
| Responsio Patris. | 194. |
| Filius Parenti Amantissimo Calendis Ja- nuariis recurrentibus. | 195. |
| Matri filioli sui plus æquo amanti. | 197. |
| Amico, quem iniquus rumor sparfe- rat ex gravi morbo fuisse extinctum. | 199. |
| Amico rebus prosperis plus æquo super- bienti. | 200. |
| Demostheni, qui ex acie cùm fugeret, & adhæsisset rubo inter fugiendum, di- sertam ad rubum ipsum, quem hostem crederet, Orationem habuerat. | 201. |
| Adolescens Nobilis Patri, ut patiatur se abjecto Litterarum studio ad bellum proficisci. | 203. |
| Responsio Patris. | 204. |
| Amico ad Borbonias aquas valetudinis gratiâ profecto. | 206. |
| Amico in extremis Galliaë partibus com- moranti de insolita cæli temperie, quæ tractum Parisiensem afficiebat. | 207. |
| Heraclitus Democrito res humanas per- petuo risu excipienti. | 209. |
| Responsio Democriti. | 210. |
| Amicus in secessu suo rerum æterna- rum meditationi vacans, ad Amicum civi- | 210. |

Epistolarum.

civilium curarum undis immersum.

212.

Amico Adolescenti ad primam bellicam
expeditionem magna animi alacritate
festinanti.

214.

Amico Laureato.

215.



INDEX

Fabularum.

Volucres de Rege faciendo deliberan-
tes.

225.

Perdix & Auceps.

226.

Asinus & Aper.

227.

Lupus & Ovis.

228.

Phæbus & Boreas.

229.

Simia cum gemina prole.

230.

Lupus & Echinus.

231.

Vultures & Columbi.

231.

Pastor & Molossus.

232.

Leo & Mus.

233.

Leo ad expeditionem bellicam se compa-
rans.

234.

Lepus & Testudo.

236.

Equus & Asinus.

237.

Agnus

Index Fabularum.

| | |
|-------------------------------|------|
| Agnus, Canis & Lupus, | 238. |
| Lepus & Perdix. | 239. |
| Pavonis ad Junonem querela. | 240. |
| Jupiter & Apis. | 241. |
| Leanae Exequiae. | 241. |
| Cervus ad fontem. | 243. |
| Canis, Vulpes, & Lepus. | 243. |
| Aquila & Cornicula. | 244. |
| Testudo & Anates. | 245. |
| Mustela, Lepus, & felis. | 246. |
| Cervus & Vitis. | 247. |
| Simius & Vulpes. | 248. |
| Asinus Dominos mutans. | 249. |
| Stultus & Sapiens. | 250. |
| Rana, Mus, & Milvus. | 251. |
| Accipiter & Philomela. | 252. |
| Agricola & ejus filij. | 253. |
| Cucurbita, Glans, & Rusticus. | 254. |
| Leo cum Aulicis. | 255. |
| Muli Duo. | 256. |
| Lupus & macilentus Canis. | 257. |
| Vulpes & Gallus. | 257. |
| Pisciculi. | 258. |



INDEX



INDEX

Oratiuncularum,

| | |
|--|------|
| P rolatio ad Concertationem Philosophicam, quæ ad Propugnantem pertinet, | 269. |
| Alia. | 272. |
| Alia pro eo, qui prius militiam professus esset. | 274. |
| Alia, cum propugnator Theses dedicasset Illustriss. Ecclesiæ Principi Franc. de Clermont &c. | 276. |
| Prolusiones ad ineundum certamen Philosophicum. Pro Thesi D. Guillelmi Briconnet. | 279. |
| Alia pro Thesi D. Henrici Francisci à Paula d' Ormesson d' Amboile. | 282. |
| Alia pro Thesi D. Francisci Victoris de Breteuil Tresigny. | 285. |
| Pro Thesi D. Alexandri Joannis Baptistæ Lambert de Torigny. | 289. |
| Pro Thesi D. Ludovici Abbatis Chomel. | 291. |
| Pro Thesi D. Achillis de Soubeyran. | 292. |
| Pro Thesi D. Jacobi Chauvelin de Beau-seiour. | 295. |

Pro

Index


| | |
|--|------|
| Pro Thesi D. Nicolai Le Breton. | 297. |
| Pro Thesi D. Ludovici Chauvelin. | 298. |
| Pro Pueri Concertationem Theologicam auspicante. | 302. |
| Alia pro Pueri inter Melitenses Equites adscripto. | 303. |
| Gratulationes Adepturis Sacram Doctoris Theologici lauream. | 304. |
| Alia. | 306. |
| Alia. | 307. |
| Alia. | 308. |
| Alia. | 310. |
| Alia. | 311. |
| Alia pro Socio Sorbonico. | 313. |
| Alia pro Doctoratûs Candidato, eodem que Religioso. | 314. |
| Alia. | 315. |
| Alia. | 316. |
| Præfationes ad auspicandum Magistra- tum. | 317. |
| Alia. | 319. |
| Alia. | 321. |
| Alia pro Candidato Magistratûs Militiam navalem diu Professo. | 322. |
| Alia. | 324. |
| Alia. | 326. |
| Alia. | |


Oratiuncularum.


| | |
|--|------|
| Alia pro Clerico Magistratum Clericalem ambiente. | 327. |
| Alia pro filio, cujus in gratiam Pater Ma- gistratum abdicat. | 329. |
| Alia. | 330. |
| Alia. | 332. |
| Alia ad petendam Oratoris Regij digni- tatem comparata. | 334. |

FINIS.











LE IAY

oration. sacre

Th

5849